

**C** necesse est: nec potest unquam ueri nomen accipere, quod ueritatem fūco & imi-  
tatione mentitur. Si autem omnis imitatio non res potissimū seria, sed quasi ludus  
ac iocus est: non religio in simulacris, sed minus religionis est. Præferendum est  
igitur uerum omnibus falsis. Calcanda terrena, ut cœlestia consequamur. Ita enim  
res se habet, ut quisque animam suam, cuius origo de cœlo est, ad inferna, & ima  
prostrauerit, eò cadat, quò se ipse deiecerit. Ideoq; oportet rationis ac status sui me-  
morem, non nisi ad superna niti semper, ac tendere. Quod qui fecerit, hic planè sa-  
piens, hic iustus, hic homo, hic cœlo deoq; dignus iudicabitur, quem suus parens  
non humilem, nec ad terram, more quadrupedum abiectum, sed stantem potius,  
ac rectum sicut fecit, agnouerit.

*Breuis epilogus, quo dicit gentibus superatis sibi à philosophis grauius  
imminere certamen.* Cap. XX

**R**eracta est igitur (ni fallor) magna et difficilis suscepti operis portio: et  
maiestate cœlesti suggerente nobis dicendi facultatē, inueteratos de-  
pulumus errores. Nunc uero maior nobis, ac difficilior cum philoso-  
phis proposita luctatio est, quorū summa doctrina & eloquentia, qua-  
si moles aliqua mihi opponitur. Nam ut illic multitudine, ac propè cōsensu omniū  
gentium premebamur, ita hic autoritate præstantium omni genere laudis uirorū.  
Quis autē nesciat, plus esse momenti in paucioribus doctis, quam in pluribus im-  
peritis? Sed non est desperandū, istos quoq; de sententiā, deo ac ueritate ducibus,  
posse depelli. Nec tam pertinaces fore arbitror, ut clarissimū Solem sanis ac paten-  
tibus oculis uidere se negent: modo illud uerū sit, quod ipsi solent profiteri, studio  
inuestigandæ ueritatis se teneri. Efficiam profectò, ut quæsitam ueritatē diu, & ali-  
**D** quando inuentā esse credant, & humanis ingenijs inueniri nō potuisse fateantur.

LIBRI SECVNDI FINIS.

**L. COELII LACTANTII FIRMIANI**  
DIVINARVM INSTITVTIONVM ADVERSVS  
GENTEIS LIBER TERTIVS, DE ORI-  
GINE ERRORIS, AD CONSTAN-  
TINVM IMPERATOREM.

*Commendatur in primis ueritas, & omnium præfertur eloquentia: & quare eam nō sint affecti philoso-  
phi, aperitur: & quare stylo simplici sacra scribantur eloquia: et quod philosophis tunc maxime  
credendum est, quum suam ignorantia profitentur.* Cap. I



**V**ELLEM mihi (quoniā ueritas in obscuro latere adhuc exis-  
timatur, uel errore atque imperitia uulgi uarijs & ineptis su-  
perstitionibus seruientis, uel philosophis, prauitate ingenio-  
rum turbatibus eam potius quam illustrantibus) etsi nō qua-  
lis in M. Tullio fuit, quia præcipua & admirabilis fuit, aliquā  
tamen proximā eloquentiæ contingere facultatem: ut quan-  
tum ueritas uī sua propria ualeat, tantum ingenij quoque uī-  
ribus nixa, exeret se aliquando: et discussis conuictisq; tam publicis, quam eorū  
qui sapientes putantur, erroribus, humano generi clarissimum lumen inferret.

Quod

A Quod quidem duabus ex causis fieri uellem: uel quod magis possent credere homines ornatae ueritati, qui etiam mendacio credunt, capti orationis ornatu, lenocinioque uerborum: uel certe, ut ipsi philosophi suis armis pouissimum, quibus placeat sibi, & confidere solent, opprimerentur a nobis. Sed quoniam deus hanc uoluit rei esse naturam, ut simplex & nuda ueritas esset luculentior, quia satis ornata per se est, ideoque ornamentis extrinsecus additis fucata corrumpitur: mendacium uero specie placet aliena, quia per se corruptum uanescit ac defluit, nisi aliunde ornatu quaesito circumlitum fuerit ac politum: aequo animo fero ingenium mihi mediocre fuisse concessum. Verum ego non eloquentiae, sed ueritatis fiducia suscepi hoc opus, fortasse maius, quam possit meis uiribus sustineri: quod tamen etiam si ego defecerim, deo, cuius est hoc munus, adiuuante, ueritas ipsa complebit. Etenim quam sciam maximos quoque oratores a causidicis mediocribus saepe uictos, quod tanta est potentia ueritatis, ut seipsam, quamuis in rebus exiguis, sua claritate defendat: cur hanc ego in maxima causa ab ingeniosis quidem illis ac disertis uiris, sed tamen falsa dicentibus, oppressum iri putem: ac non illa, si minus oratione nostra, quae de tenui fonte admodum exilis emanat, lumine tamen suo clara & illustris appareat? Nec si philosophi doctrinae literarum mirabiles extiterint, ego etiam illis scientiam ueri, cognitionemque concesserim, quam nemo cogitando, aut disputando assequi potest. Neque enim nunc reprehendo eorum studium, qui ueritatem scire uoluerunt, quia naturam hominis deus ueri adipiscendi cupientissimam fecit: sed id arguo, id reuincio, quod honestam illorum, & optimam uoluntatem non sit secutus effectus: quia neque quid esset uerum ipsum sciebant, neque quo modo, aut ubi, aut qua mente quaerendum. Ita dum succurrere humanis erroribus cupiunt, ipsi se in plagas & errores maximos induxerunt. Ad hoc igitur me opus coarguendi philosophiam, susceptae materiae ordo ipse deduxit. Nam quum error omnis aut ex religione falsa oriatur, aut ex sapientia, in eo conuincendo necesse est utrumque subuertere. Quum enim sit nobis diuinis literis traditum, cogitationes omnium philosophorum stultas esse, id ipsum re & argumentis docendum est: ne quis honesto sapientiae nomine inductus, aut inanis eloquentiae splendore deceptus, humanis malis quam diuinis credere, quae quidem tradita sunt breuiter ac nude. Nec enim decebat aliter, ut quum deus ad hominem loqueretur, argumentis assereret suas uoces, tanquam fides ei non haberetur: sed ut oportuit, est locutus, quasi rerum omnium maximus iudex: cuius non est argumentari, sed pronuntiare uerum, ipse ut deus. Nos autem quam ad res singulas testimonia diuinae uocis habeamus, profecto monstrauimus, quanto certioribus argumentis possint uera defendi: quam etiam falsa sic defendantur, ut uera soleant uideri. Quare non est, quod philosophis tantum honoris habeamus, ut eorum eloquentiam pertimescamus. Loqui enim bene potuerunt, ut homines eruditi, uere autem loqui nullo modo: quia ueritatem non didicerant ab eo, qui eius potens esset. Nec sane magnum aliquid efficimus, quod illos ignorantiae redarguamus, quam ipsi sapientissime consistunt in eo solo, quoniam non eis creditur, in quo solo credi debuit: conabor ostendere nunquam illos tam ueridicos fuisse, quam quam sententiam de sua ignorantia dixerunt.

Veritas nuda  
luculentior.

Quod ipso nomine philosophiae conuincitur, quam inanis fuerit gentilitate  
philosophantium occupatio. Cap. II



Nunc quoniam duobus superioribus libris religionum falsitas demonstrata est, necnon origo ipsa totius erroris exposita: huius libri munus est philosophiam quoque ostendere, quam inanis & falsa sit: ut omni errore sublato, ueritas patefacta clarescat. Ordiamur itaque a

Philosophiæ  
definitio.

C communi philosophiæ nomine, ut ipso capite destructo, facilius nobis aditus pateat ad excidendum omne corpus, si tamen potest corpus uocari, cuius partes ac membra discordent, nec ulla compage inter se cohaereant, sed quasi disiecta & dissipata palpitate potius quam uiuere uideantur. Philosophia est (ut nomen indicat, ipsiq; definiunt) studiū sapientiae. Vnde igitur probem magis, philosophiam non esse sapientiam, quam ex ipsius nominis significatione. Qui enim sapientiae studet, utiq; nondum sapit, sed ut sapere possit, studet. In ceteris artibus studiū quid efficiat, & quō tendat, apparet: quas quum discendo aliquis affecutus est, iam non studiosus artificij, sed artifex nominatur. At enim uerecundiae causa studiosos se sapientiae, nō sapientes uocauerunt. Imō uero Pythagoras, qui hoc primum nomen inuenit, quum paulō plus saperet quam illi priores, qui se sapientes putauerūt, intellexit nullo humano studio posse ad sapientiam perueniri: & ideo non oportere incomprehensae atq; imperfectae rei perfectum nomen imponi. Itaq; quum ab eo quaerere, quemnam se profiteret: respondit, philosophū, id est quaesitorē sapientiae. Si ergo philosophia sapientiam quaerit, nec ipsa sapiētia est: quia necesse est aliud esse quod quaerit, aliud quod quaerit: nec quaesitio sapientiae recta est, quia nihil potest inuenire. Ego uero ne studiosos quidē sapientiae philosophos esse cōcesserim, quia illo studio ad sapientiam non peruenitur: Nam si facultas inueniendae ueritatis huic studio subiaceret, & si esset id studiū tanquā iter ad sapientiam, aliquando esset inuenta. Quū uero tot temporibus, tot ingenijs in eius inquisitione contritis, non sit cōprehensa, apparet nullam esse ibi sapientiam. Non ergo sapientiae student, qui philosophant, sed ipsi studere se putant: quia illud quod quaerūt, ubi, aut quale sit, nesciunt. Siue ergo sapientiae student, siue nō student, sapientes nō sunt: quia nunquam reperiri potest, quod aut non recte quaeritur, aut omnino non quaeritur.

Ex quibus rebus philosophia constat: Et quis fuerit autor Academicæ sectæ, quæ nihil certi definit: solamq; opinionem esse in philosophia gentiliū, qui ideo plus audent, quia errores eorum non arguit, nisi deus. Cap. III



Ideamus tamen id ipsum, possitne hoc studio reperiri aliquid, an nihil. Duabus rebus uidet philosophia cōstare, scientia, & opinione, nec ulla alia re. Scientia ab ingenio uenire nō potest, nec cogitatione comprehendit: quia in seipso habere propriam scientiam, non hominis, sed dei est. Mortalis autem natura non capit scientiam, nisi quæ ueniat extrinsecus. Idcirco enim oculos, & aures, & ceteros sensus patefecit in corpore diuina solertia, ut per eos aditus scientia perueniret ad mentem. Nam causas naturalium rerū disquirere aut scire uelle, Sol utrumne tantus, quātus uidetur, an multis partibus maior sit, quā omnis hæc terra: item luna globosa sit, an concaua: & stellæ utrumne cohaereant cælo, an per aërem libero cursu ferantur: cælum ipsum qua magnitudine, qua materia constet, utrum quietum sit, an mobili, an incredibili celeritate uoluatur: quanta sit terræ crassitudo, aut quibus fundamentis librata & suspensa sit: Hæc inquam disputando, & coniecturis uelle comprehendere, tale est profectō, quale si differere uelimus, qualem esse arbitramur cuiuspiam remotissimæ gentis urbem, quam nunquam uidimus, cuiusq; nihil aliud quā nomen audiimus. Si nobis in ea re scientiam uendicemus, quæ non potest sciri, nōne insanire uidemur, qui id affirmare audeamus, in quo reuinci possumus. Quanto magis qui naturalia, quæ sciri ab homine nō possunt, si scire se putant, furiosi dementesq; sunt iudicandi. Recte ergo Socrates, & eum secuti Academici scientiam sustulerunt, quæ non disputantis, sed diuinantis est. Superest ut opinatio in philosophia sola sit: nam unde abest scientia, id totum possedit opinatio: Id enim opina-

Philosophorū  
questiones.

Sola opinatio  
in philosophia

A tur quisque, quod nescit. Illi autem qui de rebus naturalibus disputant, opinantur ita esse, ut disputant: nesciunt igitur ueritatem: quoniam scientia certi est, opinatio incerti. Redeamus ad illud superius exemplum. Age opinemur de statu & qualitate urbis illius, quæ nobis rebus omnibus præter nomen, ignota est. Verisimile est in plano sitam, lapideis mœnibus, ædificijs sublimibus, uis pluribus, magnificis ornatisq; delubris. Describamus, si placet, mores habitumq; ciuium. Sed quum hæc dixerimus, alius contraria disputabit: & quum hic quoque perorauerit, surget & tertius, & alij deinceps, & opinabuntur multo disparia, quam nos sumus opinati. Quid ergo erit ex omnibus certius: fortasse nihil. At omnia sunt dicta, quæ in rerum natura cadunt, ut necesse sit aliquid eorum esse uerum. At nescietur quis uerum dixerit: Potest fieri, ut omnes ex parte aliqua errauerint, ex parte attigerint ueritatem. Stulti ergo sumus, si hoc disputatione quæramus: potest enim superuenire aliquis, qui opiniones nostras derideat, nosq; pro insanis habeat, qui uelimus id quod nescimus, quale sit opinari. Verum non opus est longe posita conquirere, unde nemo fortasse ueniat, qui nos redarguat. Age opinemur quid nunc in foro geratur, quid in curia: longum est id quoque: dicamus: in terposito uno pariete quid fiat. Nemo potest id scire, nisi qui audierit aut uiderit: Nullus enim audet id dicere: quia statim non uerbis, sed re ipsa præsentis refutabitur. Atqui hoc idem faciunt philosophi, qui disputant in cœlo quid agatur: sed eo id impune facere arbitrantur, quia nullus existit, qui errores eorum coarguat. Quod si existimarent descensurum esse aliquem, qui eos delirare ac mentiri diceret, nunquam quicquam de ijs rebus, quas scire non possunt, disputarent. Nec tamen ideo felicior putanda est eorum impudentia & audacia, quia non redarguuntur: Redarguit enim deus, cui soli ueritas nota est, licet conuiuere uideatur, atq; hominum sapientiam pro summa stultitia computat.

*Quomodo Zeno & Socrates totam philosophiam sustulerunt de medio, quæ suis confecta est armis.*

Cap. IIII

**R**ecte igitur Zeno ac Stoici opinionem repudiarunt. Opinari enim te scire, quod nescias, non est sapientis, sed temerarij potius ac stulti. Ergo si neq; sciri quicquam potest (ut Socrates docuit) nec opinari oportet (ut Zeno) tota philosophia sublata est. Quid, quod non tantum ab his duobus euerit, qui philosophiæ principes fuerunt, sed ab omnibus: ut iam uideant iam pridem suis armis esse confecta. In multas sectas philosophia diuisa est, & omnes uaria sentiunt. In qua ponimus ueritatem: in omnibus certe non potest: designamus quamlibet: nempe in cæteris omnibus sapientia non erit. Transeamus ad singulas. Eodem modo quicquid uni dabimus, cæteris auferemus. Vnaquæq; enim secta omnes alias euerit, ut se suaq; confirmet. Nec ulla alteri sapere concedit, ne desipere fateatur: sed sicut alias tollit, sic ipsa quoq; ab alijs tollitur omnibus. Nihilominus enim philosophi sunt, qui eam stultitiæ accusant. Quancunq; laudaueris, ueramq; dixeris, à philosophis uituperat ut falsa. Credemus ne igitur uni, se suamq; doctrinam laudati, an multis unius alterius ignorantiam culpantibus: Rectius ergo sit necesse est, quod plurimi sentiunt, quam quod unus. Nemo enim potest de se recte iudicare: quod nobilis poeta testat: Ita enim comparata esse hominum naturam omnium, ut aliena melius uideant & diiudicent, quam sua. Quum igitur omnia incerta sint, aut omnibus credendum sit, aut nemini: si nemini, sapientes ergo non sunt, quia singuli sapientes esse se putant: si omnibus, æque non sunt sapientes, quia singuli ab omnibus esse negantur sapientes. Pereunt igitur uniuersi hoc modo, & tanquam Sparti illi poetarum, sic se inuicem iugulant, ut nemo ex omnibus restet.

*Varie philosophorum sectæ.*

*Sparta.*

Duo philosophiæ genera.

C Quod eo sit, quia gladium habent, scutum non habent. Si ergo singulæ sectæ multarum sectarum iudicio stultitiæ conuincuntur, omnes igitur uanæ atque inanes reperiuntur. Ita seipsam philosophiâ consumit & conficit. Quod quum intelligeret Arcefilas Academiæ conditor, reprehensiones omnium inter se collegit, confessionemque ignorantiam clarorum philosophorum: arma uicque se aduersus omnes: itaque constituit nouam non philosophandi philosophiâ. Eo igitur autore duo philosophiæ genera esse cœperunt. Vnum illud uetus, quod scientiam sibi uendicat: alterum nouum repugnans, quod eam distrahit. In his duobus generibus uideo dissidium, & quasi ciuile bellum. Sapientiam quæ distrahi non potest, in qua parte ponemus: Si natura rerum sciri potest, hæc tyronum caterua interibit: si non potest, ueterani cōficiuntur. Si pares fuerint, nihilominus peribit dux omnium philosophiâ, quia distracta est: nihil enim potest sine interitu suo sibi esse contrarium. Si autem (ut docui) nulla potest esse in homine interna & propria scientia, ob fragilitatem conditionis humanæ, Arcefilæ manus uicit. Sed ne ipsa quidem stabit, quia non potest omnino nihil sciri.

Contra Academicos, quod multa scire & natura rerum, & uitæ necessitas cogit. Cap. V



Vnt enim multa, quæ natura ipsa nos scire, & usus frequens, & uitæ necessitas cogit. Itaque pereundum est, nisi scias quæ ad uitam sunt utilia, ut appetas: quæ periculosa, ut fugias et uites. Præterea multa sunt quæ usus inuenit. Nam solis ac lunæ uarij cursus, et meatus syderum, & ratio temporū deprehensa est: & natura corporū à medicis, herbarūque uires: & ab agricolis natura terrarū, necnō imbrīū futurorum ac tempestatū signa collecta sunt. Nulla denique ars est, quæ non scientia constet. Debuīt ergo Arcefilas, si quid sciret, distinguere, quæ sciri possent, quæ uel nesciri. Sed si id fecisset, ipse se in populum redegisset. Nam uulgus interdum plus sapit: quia tantum quantum opus est, sapit. A quo si quæras, utrū sciat aliquid an nihil: dicet se scire, quæ sciat: fatebit se nescire, quæ nesciat. Recte ergo aliorū sustulit disciplinas, sed non recte fundauit suam. Ignoratio enim rerū omnīū non potest esse sapientia, cuius est scire proprium. Ita quum philosophos expugnauerit, ac docuerit eos nihil scire, ipse quoque nomen philosophi perdidit: quia doctrina eius est nihil scire. Nam qui alios reprehendit, quod nesciant, ipse debet sciens esse. Quum autem nihil sciat, quæ peruersitas, quæ uel insolentia est, ob id ipsum se philosophum constituere, propter quod cæteros tollat: Possunt enim sic respondere: Si nihil nos scire conuiceris, & ideo non esse sapientes, quia nihil sciamus: ergo ne tu quidem es sapiens, quia te quoque confiteris nihil scire. Quid ergo promouit Arcefilas, nisi quod confectis omnibus philosophis, seipsum quoque eodem mucrone transfixit.

Quomodo sapientia in medio errantium fuerit: Et Academici contra Physicos, & Physici contra Academicos dinicauerint: Et quæ sint abstararum exempla questionum: Et quod rationes cœlestiū, siue naturaliū sciri non possint. Cap. VI



Nisquam ne igitur sapientia est: Imō uero inter philosophos fuit, sed nemo uidit. Alij putauerunt sciri posse omnia, hi sapientes utique non fuerunt. Alij nihil, ne hi quidē sapientes fuerunt. Illi, quia plus homini dederunt: hi, quia minus. Vtrisque in utranque partem modus defuit. Vbi ergo sapientia est, ut neque te omnia scire putes, quod dei est: neque omnia nescire, quod pecudis. Est enim aliquid mediū, quod sit hominis, id est scientia cum ignoratione cōiuncta & temperata. Scientia in nobis ab anima est, quæ oritur à cœlo: ignoratione à corpore, quod est à terra: unde nobis & cū ueo, & cum animalibus est aliqua communitas.

**A** cōmunitas. Ita quoniam ex his duobus constat elementis, quorum alterū luce præditum est, alterum tenebris, pars nobis data est scientiæ, pars ignorantia: per hunc quasi pontem transire sine cadendi periculo licet: nam sic illi omnes qui in alteram partem inclinauerunt, aut dextro, aut sinistro uersus ceciderunt: utraq; autem pars quomodo errauerit, dicam. Academici contra Physicos ex rebus obscuris argumentati sunt, nullam esse scientiam: & exemplis paucarū rerum incōprehensibilium contenti, amplexi sunt ignorantia, tanquā scientiā totam sustulissent, quia in parte sustulerant. Physici contra, ex ijs quæ aperta sunt, argumentū trahebant, omnia sciri posse: contentiq; perspicuis retinebant scientiam, tanquā totam defendissent, quia ex parte defenderant. Itaq; neq; hi clara, neq; illi obscura uidentur: sed utriq; dum solam scientiam conferis manibus uel retinent, uel eripiunt, non uiderunt in medio cōstitutam fore, quæ illos ad sapientiam transmitteret. Verum Arcefilas ignorantia magister, quum Zenoni obrectaret principi Stoicorum, ut totam philosophiam euerteret, autore Socrate, suscepit hanc sententiam, ut affirmaret nihil sciri posse. Itaq; coarguit æstimationem philosophorū, qui putassent ingenijs suis erutam esse, atq; inuentam ueritatem: uidelicet quia mortalis fuerat illa sapientia, paucisq; ante temporibus instituta, ad summū iam incrementum peruenerat, ut iam necessariō consenesceret ac periret, repente extitit Academia tanquam senectus philosophiæ, quæ illam conficeret iam deflorescentem. Recteq; uidit Arcefilas, arrogantes, uel potius stultos esse, qui putent scientiā ueritatis coniectura posse comprehendī. Sed tamen falsa dicentem redarguere non potest, nisi qui scierit antè quid sit uerum. Quod Arcefilas ueritate non cognita facere conatus, introduxit genus philosophiæ ἀσυστόν, quod latine instabile siue incōstans possumus dicere. Ut enim nihil sciendū sit, aliquid sciri necesse est. Nam si omnino nihil scias, id ipsum nihil sciri posse, tolletur. Itaq; qui uelut sententiæ loco pronunciat, nihil sciri, tanquā perceptum proficitur & cognitum, ergo aliquid sciri potest. Huic simile est illud, quod in scholis proponi solet in alystati generis exemplum, somniasse quendā ne somnijs crederet. Si enim crediderit, tum sequitur, ut credendum non sit. Si autem non crediderit, tunc sequitur ut credendū sit. Ita si nihil sciri potest, necesse est id ipsum sciri, quod nihil sciatur. Si autē scitur, posse nihil sciri, falsum est ergo quod dicitur, nihil sciri posse. Sic inducitur dogma si-bijpsi repugnans, seq; dissoluens. Sed homo uersutus cæteris philosophis uoluit scientiā eripere, ut eam domi absconderet. Nam sibi illam profectō nō adimit, qui aliquid affirmat, ut cæteris adimat: sed nihil agit, apparet enim, ac furtum suum prodit. Quanto faceret sapientius ac uerius, si exceptione facta, diceret causas rationesq; duntaxat rerum cœlestium seu naturalium, quia sunt abdita, nesciri posse, quia nullus doceat: nec quæri oportere, quia inueniri quærendo non possunt. Qua exceptione interposita, & Physicos admonuisset, ne quærent ea, quæ modum excederent cogitationis humanæ: & seipsum calumniæ inuidia liberalisset, & nobis certe dedisset aliquid quod sequeremur. Nunc autem quum ab his sequendis nos retraxerit, ne uelimus plus scire, quàm possimus, non minus à se quoque ipso retraxit. Quis enim uelit laborare, ne quicq; sciat: aut eiusmodi suscipere doctrinam, ut etiam communem scientiam perdat? Quæ si doctrina est, scientia constet necesse est. Si non est, quis tam stultus est, ut discendum id putet, in quo aut nihil discitur, aut omnino dediscitur? Quare si neq; omnia sciri possunt, quod Physici putauerunt: neq; nihil, quod Academici: philosophia omnis extincta est.

Arcefilas igno-  
ratiæ magister.

C De morali philosophia, & quare sicut utilior, ita & ceteris philosophia partibus sit facilior: quæ fuerint omnium philosophorum ferè sententia de summo bono. Cap. VII



Ranseamus nunc ad alteram philosophiæ partem, quam ipsi moralem uocant, in qua totius philosophiæ ratio continetur. Si quidem in illa physica, sola oblectatio est, in hac etiam utilitas: & quoniã in disponendo uitæ statu, formandisque moribus periculo maiori peccatur, maiorem diligentiam necesse est adhiberi, ut sciamus quomodo nos oporteat uiuere. Illic enim potest uenia cõcedi: quia siue aliquid dicunt, nihil profunt: siue delirant, nihil nocent. Hic uero nullus dissidio, nullus errori est locus. Omnes unum sentire oportet, ipsamque philosophiam uno quasi ore præcipere: quia si quid fuerit erratum, uita omnis euertitur. In illa priori parte, ut periculi minus, ita plus difficultatis est: quod obscura rerum ratio cogit diuersa & uaria sentire: hic ut periculi plus, ita minus difficultatis: quod ipse usus rerum & quotidiana experimenta possunt docere quid sit uerius & melius. Videamus ergo utrum ne consentiant, aut quid nobis afferant, quo rectius in uita degatur. Non necesse est omnia circuire, unum eligamus ac potissimum, quod est summum ac principale, in quo totius sapientiæ cardo uersatur. Epicurus summum bonum in uoluptate animi esse censet, Aristippus in uoluptate corporis. Calliphon & Dinomachus Cyrenaici, honestatẽ cum uoluptate iunxerunt. Diodorus in priuatione doloris summum bonum posuit, Hieronymus in nõ dolendo. Peripatetici autẽ in bonis animi, & corporis, & fortuna. Herilli summum bonum est scientia. Zenonis, cum natura cõgruenter uiuere, Quorundã Stoicorum, uirtutẽ sequi, Aristoteles in honestate ac uirtute summum bonum collocauit. Hæ sunt ferè omnium sententiæ. In tanta diuersitate, quẽ sequimur: cui credimus: par est omnibus autoritas. Si eligere possumus quod est melius, iam nõ est philosophia nobis necessaria: quia sapientes iam sumus, qui de sapientium sententijs iudicemus. Quum uero discendæ sapientiæ causa ueniamus, qui possumus iudicare, qui nondum sapere cõperimus: maxime quum præsto adsit Academicus, qui nos pallio retrahat, ac ueter cuiquam credere: nec tamẽ afferat ipse quod sequamur.

De summo bono philosophorum opiniones

Quod uera sapientia docet, summum bonum hominis non esse animi uel corporis uoluptatem, aut aliquid eorum, quæ à philosophis sunt proposita. Cap. VIII

Litigationibus



Vid ergo superest, nisi ut omnis litigatoribus furiosis ac pertinacibus, ueniamus ad iudicẽ illum, scilicet datorẽ simplicis & quietæ sapientiæ: qui non tantum formare nos ac inducere in uiam possit, uerum etiam de controuersijs istorum ferre sententiam. Hic nos docet, quid sit hominis uerum ac summum bonum: de quo priusquam dicere incipio, illæ omnes sententiæ sunt refellendæ, ut appareat neminem illorum fuisse sapientem. Quum de officio hominis agatur, oportet summum summi animalis bonum in eo constitui, quod commune cum ceteris animalibus esse non possit. Sed ut feris dentes, armentis cornua, uolucris pennæ propria sunt, sic homini aliquid suum debet adscribi, sine quo rationem suæ conditionis amittat. Nam quod uiuendi, aut generandi causa datum est omnibus, est quidẽ bonum naturale: summum tamen non est, nisi quod est unicuique generi proprium. Sapiens ergo non fuit, qui summum bonum credidit animi uoluptatẽ: quoniã siue illa securitas, siue gaudiũ est, communis est omnibus. Aristippo ne respondendum quidẽ duco, quem in corporis semper uoluptatẽ intuentem, nihilque aliud quam uentri et Veneri seruientem, nemini dubium est hominem non fuisse. Sic enim uixit, ut nihil inter eum, pecudẽque distaret, nisi unum, quod loquebatur. Quod si asino aut cani, aut sui facultas loquendi tribuatur, quærasque ab his quid sibi

Aristippus.

A. sibi uelint, quū fœminas tam rabide consecant, ut uix diuelli queant, cibos etiā potumq; negligant, aut alios mares uolenter abigant, aut ne uicti quidem abstinent, sed à fortioribus sæpe contriti, eo magis insectentur: cur nec imbres, nec frigora pertimescant, laborem suscipiant, periculū non recusent: Quid aliud respondunt, nisi summum bonum esse corporis uoluptatem: eam se appetere, ut afficiantur suauissimis sensibus: eosq; esse tanti, ut allequendorū causa, nec laborem sibi ullum, nec uulnera, nec mortem ipsam recusandam putent. Ab his ne igitur præcepta uiuendi petemus, qui hoc idem sentiūt, quod animæ rationis expertes? Aiunt Cyrenaici uirtutē ipsam ex eo ipso esse laudandam, quod sit efficiens uoluptatis: uerum ergo inquit obscœnus canis, aut sus ille lutulentus. Nam ideo cum aduersario summa uirium contentione depugno, ut uirtus mea pariat mihi uoluptatem: cuius expers sim necesse est, si uictus abscessero. Ab his ergo sapere discemus, quos à pecudibus ac belluis nō sententia, sed lingua discernit? Priuationem doloris summū bonum putare non planē Peripateticorū ac Stoicorū, sed Cynicorum philosophorū est. Quis enim nō intelligat ab ægrotis, & in aliquo dolore positus, esse hoc disputatum: Quid tam ridiculum, quàm id habere pro summo bono quod medicus possit dare? Dolendum est ergo, ut fruamur bono, & quidem grauius ac saepe, ut sit postea non dolere iucundius. Miserrimus est igitur, qui nunquam doluit, quia bono caret: quem nos felicissimū putabamus, quia malo caruit. Ab hac uanitate nō longe absuit, qui omnino nihil dolere, summū bonum dixit. Nam præter quod omne animal doloris est fugiens, quis potest sibi hoc bonū præstare, quod nobis ut eueniat, nihil aliud possumus quàm optare? Summum autē bonum nō potest efficere quenquā beatum, nisi semper fuerit in ipsius potestate.

B. Hoc autem non uirtus homini, non doctrina, nō labor, sed natura ipsa cunctis animantibus præstat. Qui uoluptatē cum honestate iunxerunt, cōmunionem hanc effugere uoluerunt. Sed effecerunt repugnans bonum: quoniam qui uoluptati deditus est, honestate careat necesse est: qui honestati studet, uoluptate caret. Peripateticorum bonum nimium multiplex, exceptis animi bonis, quæ ipsa quæ sint, magna contentio est, commune cum belluis potest uideri. Nam corporis bona, id est incolumitas, indolentia, ualetudo, non minus sunt mutis, quàm homini necessaria: ac nescio, an etiam magis: quia homo & medelis & ministerijs subleuari potest, muta non possunt. Item, quæ appellant fortunæ bona: nam sicut homini opibus ad uitam tuendam, ita illis præda, & pabulis est opus. Ita inducendo bonum, quod non sit in hominis potestate, totum hominē alienæ ditioni subiugarunt. Audiamus etiam Zenonem: nam is interdum uirtutem somniat. Summum, inquit, est bonum, cum natura consentaneè uiuere. Belluarum igitur nobis more uiuendum est. Nam quæ abesse debent ab homine, in his omnibus deprehenduntur, uoluptates appetunt, metuunt, fallunt, insidiant, occidunt: & quod ad rem maxime attinet, deum nesciunt. Quid ergo me docet, ut uiuam secundū naturam, quia ipsa in deterius prona est, & quibusdā blandimētis lenioribus in uitia præcipitat? Sed si aliam mutorū, aliam hominis dicit esse naturam, quod homo ad uirtutem sit genitus, nonnihil dicit: sed tamen non erit definitio summi boni: quia nullū est animal, quod non secundum naturam suam uiuat. Qui scientiā summū bonū fecit, aliquid homini propriū dedit: sed scientiā alterius rei gratia homines appetunt, nō propter ipsam. Quis enim scire cōtentus est, non expetens aliquē fructū scientiæ? Artes ideo discuntur, ut exercent: exercent autē uel ad subsidia uitæ, uel ad uoluptatem, uel ad gloriā. Non est igitur summū bonum, quod nō propter se expetitur. Quid ergo interest, utrū scientiā summū bonū putemus, an illa ipsa, quæ scientia ex

Cyrenaicorum  
sententia de uir-  
tute.

Cynici.

Peripatetic.

Zeno.



c se parit, id est uictum, gloriam, uoluptatem: quæ non sunt homini propria, & ideo ne summa quidem bona. Nam uoluptatis & uictus appetentia non homini solum, sed etiam mutis inest. Quid cupiditas gloriæ? Nonne in equis deprehendit, quum uictores exultant, uicti dolent,

Tantus amor laudum, tantæ est uictoria curæ.

Nec immeritò summus poëta experiendum esse ait:

Et quis cuius dolor uicto, quæ gloria palma.

†disputationis

Quod si ea quæ parit scientia, cõmunia sunt cum alijs animalibus, non est ergo summum bonum scientia. Præterea non mediocriter huius definitionis est uitium, quod scientia nuda ponitur. Incipient enim beatiore uideri, qui artem aliquam scierint, imò uero qui & res malas scierint, ut tam beatus sit, qui uenena didicerit temperare, quam qui mederi. Quæro igitur, ad quam rem scientia referenda sit: si ad causas rerum naturalium, quæ beatitudo erit mihi proposita, si sciero unde Nilus oriatur, uel quicquid de cælo physici delirant? Quid quod earum rerum non est scientia, sed opinio, quæ pro ingenijs uaria est? Restat ut scientia bonorum ac malorum summum bonum sit. Cur ergo scientiam maluit, quam ipsam sapientiam summum bonum dicere, quum sit utriusque significatio & uis eadem? Nemo tamen usque adhuc summum bonum dixit esse sapientiam, quod melius dici potuit. Nam scientia parum est ad bonum suscipiendum, malumque fugiendum, nisi accedat et uirtus. Multi enim philosophorum, quum de bonis malisque differerent, aliter tamen quam loquebantur, natura cogente uixerunt: quia uirtute caruerunt. Virtus autem cum scientia coniuncta, est sapientia. Superest ut eos etiam refellamus, qui uirtutem summum bonum putauerunt: in qua opinione etiam M. Tullius fuit: in quo multum inconsiderati fuerunt. Non enim uirtus ipsa est summum bonum, sed effectrix & mater est summi boni: quoniam perueniri ad illud sine uirtute non potest. Vtrumque intellectu est facile. Quæro enim, utrum ne ad præclarum illud bonum facile perueniri putent, an cum difficultate ac labore expediant acumen suum, erroremque defendant. Si facile ad illud, ac sine labore perueniri potest, summum bonum non est.

D  
Virtus an summum bonum

Quid enim nos cruciemus? quid cõficiamus enitendo diebus & noctibus? quandoquidem tam in promptu id quod quærimus iacet, ut illud quilibet sine ulla contentione animi deprehendat. Sed si cõmune quoque ac mediocriter quodlibet bonum non nisi labore assequimur, quoniam bonorum natura in arduo posita est, malorum in præcipiti: summo igitur labore summum bonum assequi necesse est. Quod si uerissimum est, ergo altera uirtute opus est, ut perueniamus ad eam uirtutem, quæ dicitur summum bonum: quod est incongruens et absurdum, ut uirtus per seipsam perueniat ad seipsam. Si non potest ad ullum bonum, nisi per laborem perueniri: apparet uirtutem esse, per quam perueniatur: quoniam in suscipiendis perferendisque laboribus, uis, officiumque uirtutis est. Ergo summum bonum non potest esse id, propter quod necesse est ad aliud perueniri. Sed illi, quum ignorarent quid efficeret uirtus, aut quò tenderet, honestius aut nihil reperirent, substituerunt in ipsius uirtutis nomine, quam nullo proposito emolumento, appetendam esse dixerunt: & bonum sibi constituerunt, quod bono indigerent. Aristoteles ab ijs non longe recessit, qui uirtutem cum honestate summum bonum putauit: quasi ulla uirtus possit esse inhonesta, ac non si quid habuerit turpitudinis, uirtus esse desinat: sed uidit fieri posse, ut de uirtute, prauo iudicio sentiat male, & ideo existimationi hominum seruiendum putauit. Quod qui facit, à recto bonoque discedit: quia non est in nostra potestate, ut uirtus pro suis meritis honestetur. Nam quid est honestas, nisi honor perpetuus, ad aliquem secundo populorum ore delatus? Quid ergo fiet si errore

Aristoteles.

**A** si errore ac prauitate hominum, mala existimatio subsequatur: abijciemus ne uirtutem, quia flagitiosa & turpis ab insipientibus iudicetur: Quæ quoniam inuidia premi ac uexari potest, ut sit ipsum proprium ac perpetuum bonum, nullo extrinsecus adiumento indigere debet, quin suis per se uiribus nitatur & constet. Ita que nec ullum ei ab homine bonum sperandum est, nec ullum malum recusandum. Venio nunc ad ueræ sapientiæ summum bonum, cuius natura hoc modo determinanda est.

*Quid sit ueræ sapientiæ summum bonum: Et quàm uitiosa fuerit ratio Anaxagoræ, ad quid natus sit homo. Cap. IX*



**R**imū, ut solius hominis sit, nec cadat in ullum aliud animal: Deinde, ut solius animi, nec cōmunicari possit cum corpore: Postremo, ut non possit cuiquam sine scientia & uirtute contingere. Quæ circūscriptio illas omnes sententias excludit ac soluit: eorū enim, quæ dixerūt, nihil tale est. Dicam nunc quid sit, ut doceam (quod institui) philosophos omnes cæcos atq; insipientes fuisse: qui, quod est homini summū bonum constitutū, nec uidere, nec intelligere, nec suspicari aliquando potuerūt. Anaxagoras quū ab eo quærere tur, cuius rei causa natus esset: respondit, Solis ac cœli uidendi. Hanc uocem admirantur omnes, ac philosopho dignam iudicant. At ego hunc puto non inuenientem quid responderet, effudisse hoc passim, ne taceret. Quod quidem secum si sapiens fuisset, cōmentatum & meditatū habere debuit: quia si quis rationem sui nesciat, nō homo sit quidem. Sed putemus nō ex tempore dictum illud effusum. Videamus in tribus uerbis quot & quanta peccauerit. Primum, quod omne hominis officiū in oculis posuit, nihil ad mentem referens, sed ad corpus omnia. **B** si cæcus fuisset, officiū ne hominis amitteret, quod fieri sine occasu animæ nō potest: Quid ceteræ corporis partes, an ne carebunt suis quoq; muneribus? Quid, quod plus est in auribus, quàm in oculis situm? quoniam & doctrina & sapientia percipi auribus solis potest, oculis solis non potest. Cœli ac Solis uidendi causa natus es? Quis te in hoc spectaculum induxit? aut quid cœlo rerumq; naturæ uisio tua confert? Nimirum ut hoc immensum & admirabile opus laudes. Confitere ergo rerum omnium esse constitutorem deum, qui te in hunc mundū, quasi testem laudatoremq; tanti sui operis induxit. Magnum esse credis uidere cœlum ac Solem: cur ergo gratias non agis ei, qui huius beneficii autor est? Cur nō ipsius uirtutem, prouidentiam, potestatem metiris animo, cuius opera miraris? Etenim necesse est, ut multo mirabilior sit, qui mirabilia perfecit. Si te quispiam uocasset ad cœnam, in eaq; optime acceptus esses, nō insanus uiderere, si pluris faceres ipsam uoluptatem, quàm uoluptatis autorem? Adeo philosophi ad corpus omnia referunt, nihil prorsus ad mentem, nec uident amplius, quàm quod sub oculis uenit. Atqui remotis omnibus officijs corporis, in sola mente ponenda est hominis ratio: non ergo ideo nascimur, ut ea quæ sunt facta uideamus, sed ut ipsum factorem rerum omnium cōtemplemur, id est mente cernamus. Quare si quis hominē qui uere sapit, interroget, cuius rei gratia natus sit: respondebit intrepidus ac paratus, colendi se dei gratia natū, qui nos ideo generauit, ut ei seruiamus. Seruire autem deo, nihil aliud est, quàm bonis operibus tueri & conseruare iustitiam. Sed ille, ut

*Anaxagoræ  
responsum.*

*Seruire deo  
quid.*

Utrumque est corpus, sed deus anima contemplandus est: quia deus, ut est ipse immortalis, sic animum uoluit esse sempiternum. Dei autem contemplatio est, uenerari & colere communem parentem generis humani. Quod si à philosophis abfuit, proiectiq; in terram fuerunt diuina ignorando, existimandus est Anaxagoras ad ea, quæ uidentur natum esse se dixit, nec cœlum uidisse, nec solem. Expedita est igitur hominis ratio, si sapiat, cuius propria est humanitas: nam ipsa humanitas quid est nisi iustitia? Quid est iustitia nisi pietas? Pietas autem nihil aliud est, quam dei parentis agnitio.

Quod ea, quæ uidentur hominis esse propria, cæteris quoq; animantibus communia sunt: hominis uero proprium est, deum noscere & colere. Cap. X



Natura apum

Vnum igitur bonum hominis in sola religione est. Nam cætera etiã, quæ putantur esse homini propria, in cæteris quoque animalibus reperiuntur. Quum enim suas uoces proprijs inter se notis discernunt atq; dignoscunt, colloqui uident: ridendiq; ratio apparet in his aliqua, quum demullis auribus, contractoq; rictu, & oculis in lasciuiam resolutis, aut homini aludunt, aut suis quisq; coniugibus, ac scetibus proprijs. Nonne aliquid amori tuo & indulgentiæ simile impartunt? Iam illa, quæ sibi prospiciunt in futurum, & cibos reponunt, habent utique prouidentiam. Rationis quoq; signa in multis deprehenduntur. Nam quando utilia sibi appetunt, mala cauent, pericula uitant, latibula sibi parant in plures exitus disparentia, profecto aliquid intelligunt. Potest aliquis negare illis inesse rationem, quum hominem ipsum saepe deludant? Nam quibus generandi mellis officium est, quum assignatas incolunt sedes, castra muniunt, domicilia inenarrabili arte componunt, regi suo seruiunt: nescio an in his perfecta sit prudentia. Incertum est igitur, utrum ne illa, quæ homini tribuuntur, communia sint cum alijs uiuentibus: religionis certè sunt expertia. Equidem sic arbitror uniuersis animalibus esse datam rationem: sed mutis tantummodo ad uitam tuendam, homini autem ad propagandam. Et quia in homine ipsa ratio perfecta est, sapientia nominatur: quæ in hoc eximium facit hominem, quod soli datum est homini intelligere diuina. Qua de re Ciceronis uera est sententia: Ex tot, inquit, generibus, nullum est animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam dei. Ipsiq; in hominibus nulla gens est neq; tam immanueta, neq; tam fera, quæ non etiã si ignoret qualem deum haberi deceat, tamen habendum sciat. Ex quo efficitur, ut is agnoscat deum, qui unde ortus sit, quasi recordetur. Qui ergo philosophi uolunt animos omni metu liberare, tollunt etiam religionem, & orbant hominem suo proprio ac singulari bono, quod est à recte uiuendo atq; ab omni humanitate disiunctum: quia ut deus cuncta uiuentia subiecit homini, sic ipsum hominem sibi. Nam quid est, cur ijdem ipsi disputent, eò dirigendam esse mentem, quò uultus erectus est? Si enim nobis cœlum spectandum est, ad nihil aliud utique, quam ob religionem: si religio tollitur, nulla nobis ratio cum cœlo est. Itaque aut eò est spectandum, aut in terram procumbendum. In terram procumbere nisi uelimus quidem, non possumus, quorum status rectus est. In cœlum igitur spectandum est, quò natura corporis prouocat. Quod si constat esse faciendum, aut ideo est faciendum, ut religioni seruiamus: aut ideo, ut rationem rerum cœlestium cognoscamus. Sed rationem rerum cœlestium cognoscere nullo modo possumus, quia nihil eiusmodi potest cogitatio inueniri, sicut supra docui. Religionem ergo seruiendum est: quam qui non suscipit, ipse se prosternit in terram, & uitam pecudum secutus, humanitate se abdicat. Sapientiores ergo imperiti, qui etiam si errant in religione deligenda, tamen naturæ suæ conditionisq; meminerunt.

Quod

A

Quod deus fecit hominem cupidum religionis & sapientiae, quorum alterum consistare sine altero non potest: Et quod nihil eorum quae mortales appetunt, summum bonum sit. Cap. XI



Onstat igitur totius humani generis consensu, religionē suscipi oportere: sed quomodo in ea erretur, explicandum est. Naturam hominis hanc deus esse uoluit, ut duarum rerum cupidus & appetens esset, religionis & sapientiae. Sed homines ideo falluntur, quod aut religionē suscipiunt omissa sapientia, aut sapientiae soli student omissa religione, quum alterum sine altero esse non possit uerum. Cadunt ergo ad multiplices religiones, sed ideo falsas, quia sapientiam reliquerunt, quae illos docere poterat, deos multos esse non posse. Aut student sapientiae, sed ideo falsae, quia religionem summi dei omiserunt, qui eos ad ueris scientiam potuit erudire. Sic homines qui alterutrum suscipiunt, uitam deuiam maximisque erroribus plenam sequuntur: quoniam in his duobus inseparabiliter connexis, & officium hominis, & ueritas omnis inclusa est. Miror itaque nullum omnino philosophorum extitisse, qui sedem ac domicilium summi boni reperiret. Potuerunt enim sic quaerere: Quodcunque est summum bonum, necesse est omnibus esse propositum. Voluptas est, quae appetitur à cunctis: sed haec & communis est cum belluis, & honesti uim non habet, & satietatem affert, & nimia nocet, & processu minuitur aetatis, & multis non contingit: nam qui opibus carent, quorum maior est numerus, etiam uoluptate careant necesse est. Non est igitur summum bonum, sed ne bonum quidem uoluptas. Quid diuitiae? Multo magis: nam & paucioribus, & plerunque casu, & inertibus saepe, & nonnunquam scelere contingunt, & optantur ab ijs, qui eas iam tenent. Quid regnum ipsum? ne id quidem. Non enim cuncti homines regnare possunt, & necesse est uniuersos summi boni capaces esse. Quæramus igitur aliquid, quod propositum sit omnibus. Num uirtus? negari non potest, quin & bonum sit, & omnium certe bonum: sed si beata esse non potest, quia uis & natura eius in malorum perferentia posita est, non est profectio summum bonum. Quæramus aliud. At nihil uirtute pulchrius, nihil sapientia dignius inueniri potest. Si enim uitia ob turpitudinem surgienda sunt, uirtus igitur appetenda est ob decorem. Quid ergo? Potest ne fieri, ut quod bonum, quod honestum esse constat, mercede ac praemio careat, sitque tam sterile, ut nihil ex se commodi pariat? Labor ille magnus, & difficultas, & eluctatio aduersus mala, quibus haec uita plena est, aliquid magni boni pariat necesse est. Id uero quid esse dicemus? Num uoluptatem? At nihil turpe ex honesto nasci potest. Num diuitias? Num potestates? At ea quidem fragilia sunt & caduca. Num gloriam? Num honorem? Num memoriam nominis? At haec omnia non sunt in ipsa uirtute, sed in aliorum existimatione atque arbitrio posita. Nam saepe uirtus & inuisa est, & malo afficitur. Debet autem id bonum, quod ex eo nascitur, ita cohaerere, ut diuelli atque distrahi nequeat: nec aliter summum bonum uideri potest, quam si proprium sit uirtutis, & tale, ut neque adijci quicquam, nec detrahi possit. Quid, quod in his omnibus contemnendis uirtutis officia consistunt? Nam uoluptates, opes, potentias, honores, atque omnia quae pro bonis habentur, non concupiscent, non appetere, non amare, quod ceteri faciunt uicti cupiditate, id est profectio uirtutis. Aliud ergo sublimius atque praeclearius efficit, nec frustra his praesentibus bonis reluctatur, nisi quod maiora, & ueriora desiderat. Non desperemus inueniri posse, modo uerset se cogitatio in omnia: neque enim leuia, aut ludicra praemia petuntur.

Refutatio opinionum de summo bono.

**C** De duplici pugna corporis & animæ, & hostibus utriusq;: Et quod uirtus non propter se appetenda est, sed propter uitam æternam, quæ summum bonum est, & uirtutem necessariò sequitur, & in presenti haberi non potest, Cap. XII



Virtus animæ  
& corporis.

Ed quaeritur quid sit, propter quod nascimur: quid efficiat uirtus, possumus sic inuestigare. Duo sunt, ex quibus homo constat, animus & corpus. Multa sunt propria animi, multa propria corporis, multa utriusque cõmunia, sicut est ipsa uirtus, quæ quoties ad corpus referri, discernendi gratia fortitudo nominatur. Quoniã igitur utriusque subiacet fortitudo, utriusque proposita dimicatio est, & utriusque ex dimicatione uictoria. Corpus quia solidum est & cõprehensibile, cum solidis & cõprehensibilibus cõfligat necesse est. Animus autem, quia tenuis & inuisibilis est, cum ijs congregitur hostibus, qui uideri tangique non possunt. Qui sunt autem hostes animi, nisi cupiditates, uitia, peccata: quæ si uicerit uirtus ac fugauerit, immaculatus erit animus ac purus. Vnde ergo colligi potest quid efficiat animi fortitudo: nimirum ex coniunctio & pari, hoc est ex corporis fortitudine. Quod quum in aliquã cõgressionem, certamenque uenerit, quid aliud ex uictoria quam uitam petit? Siue enim cum homine, siue cum bestia dimices, pro salute certatur. Ergo ut corpus uincendo id assequitur, ut non intereat, sic etiam animus, ut permaneat: & sicut corpus ab hostibus suis uictum morte multatur, ita superatus à uitijis animus moriatur necesse est. Quid ergo intererit inter animi corporisque dimicationem, nisi quod corpus temporalem uitam expetit, animus sempiternam? Si ergo uirtus per seipsam beata non est, quoniã in perferendis (ut dixi) malis, tota uis eius est: si omnia, quæ pro bonis concupiscunt, negligit: si summus eius gradus ad mortem patet, quandoquidem uitam, quæ optatur à cæteris, sæpe respuit: mortemque, quam cæteri timent, fortiter suscipit: si necesse est, ut aliquid ex se magni boni pariatur, quia sustentati & superati usque ad mortem labores sine præmio esse non possunt: si nullum præmiũ, quod ea dignum sit, in terra reperiretur, quandoquidem cuncta quæ fragilia sunt & caduca, spernit: quid aliud restat, nisi ut cœleste aliquid efficiat, quia terrena uniuersa cõtemnit? & ad altiora nitatur, quia humilia despicit? Id uero nihil aliud potest esse, quam immortalitas. Merito ergo philosophorum non obscurus Euclides, qui fuit conditor Megaricorum disciplinæ, dissentiens à cæteris, id esse summum bonum dixit, quod simile sit, & idem semper. Intellexit profecto quæ sit natura summi boni, licet id non explicauerit quid sit: id est autem immortalitas, nec aliud omnino quicquam: quia sola nec imminui, nec augeri, nec immutari potest. Seneca quoque imprudens incidit, ut fatere, nullum esse aliud uirtutis præmiũ, quam immortalitatem. Laudans enim uirtutem in eo libro, quæ de immatura morte conscripsit: Vna, inquit, res est uirtus, quæ nobis immortalitatem donare possit, & pares dijs facere. Sed & Stoici, quos secutus est, negant sine uirtute effici quenquam beatum posse. Ergo uirtutis præmium beata uita est, si uirtus (ut recte dictum est) beatam uitam facit. Non est igitur, ut aiunt, propter seipsam uirtus expetenda, sed propter uitam beatam, quæ uirtutem necessariò sequitur. Quod argumentum docere eos potuit, quod esset summum bonum. Hæc autem uita præsens & corporalís, beata esse non potest, quia malis est subiecta per corpus. Epicurus deum beatum & incorruptum uocat, quia sempiternus est. Beatitudo enim perfecta esse debet, ut nihil sit quod eam uexare, ac imminuere, aut immutare possit. Nec aliter quicquam existimari beatum potest, nisi fuerit incorruptum. Incorruptum autem nihil est, nisi quod est immortale. Sola ergo immortalitas beata est, quia corrupti ac dissolui non potest. Quod si cadit in hominẽ uirtus, quod negare nullus potest, cadit & beatitudo. Non potest enim fieri, ut sit miser, qui uirtute est præditus. Si cadit beatitudo,

ergo

Beatitudo  
perfecta.

A ergo & immortalitas cadit in hominem, quæ beata est. Summū igitur bonum sola immortalitas inuenit: quia nec aliud animal, nec corpus attingit. Nec potest cuiquam sine scientiæ uirtute, id est, sine dei cognitione ac iustitia obuenire. Cuius appetitio quàm uera, quæ recta sit, ipsa uitæ huiusce cupiditas indicat: quæ licet sit temporalis, & labore plenissima, expetitur tamen ab omnibus, & optat. Hanc enim tam senes quàm pueri, tam reges quàm infimi, tam denique sapientes quæ stulti cupiunt. Tanti est (ut Anaxagoræ uisum est) contemplatio cœli ac lucis ipsius, ut quascunque miseras libeat sustinere. Quum igitur laboriosa hæc & breuis uita, non tantum hominum, sed etiam cæterorum animantium consensu, magnum bonum esse ducatur, manifestum est eandem summū ac perfectum fieri bonum, si & sine careat, & omni malo. Denique nemo unquam extitisset, qui hanc ipsam breuem contemneret, aut subiret mortem, nisi spe uitæ longioris: nam illi, qui propter salutem ciuium uoluntaria se neci obtulerunt, sicut Thebis Menceus, Athenis Codrus, Romæ Curtius, & Mures duo Decij, nunquam mortem uitæ comodis prætulissent, nisi se immortalitatem opinione ciuium consequi putauissent: qui tamen nescierunt immortalitatis uitam, res tamen eos non fefellit. Si enim uirtus diuitias & opes ideo contemnit, quia fragiles sunt, uoluptates ideo, quia breues: ergo & uitam fragilem breuemque ideo contemnit, ut solidam & perpetuam consequatur. Ipsa ergo cogitatio per ordinem gradiens, & uniuersa considerans, perducit nos ad eximium illud & singulare, cuius causa nascimur, bonum. Quod si fecissent philosophi, si non quod semel apprehenderant, tueri pertinaciter maluissent, profectò peruenissent ad uerum hoc, quod ostendi modo. Quod si non fuit eorum, qui cœlestes animas unacum corporibus extinguunt: illi tamen qui de immortalitate disputant animi, intelligere debuerunt ideo propositam nobis esse uirtutem, ut perdomitis libidinibus, rerumque terrestriū cupiditate superata, puræ ac uictrices animæ ad deum, id est ad originem suam reuertantur. Idcirco enim soli animantium ad aspectum cœli erecti sumus, ut summū bonum nostrum in summo deo esse credamus. Ideo religionem soli capimus, ut ex hoc sciamus, humanū spiritum non esse mortalem, quod deum, qui est immortalis, & desiderat & agnoscit. Igitur ex omnibus philosophis, qui aut pro summo bono scientiam, aut uirtutem sunt amplexi, tenuerunt quidem uiam ueritatis, sed non peruenierunt ad summum. Hæc enim duo sunt, quæ simul efficiant illud quod queritur. Scientia id præstat, ut quo modo, & quomodo perueniendum sit, nouerimus: uirtus, ut perueniamus. Alterum sine altero nihil ualet: ex scientia enim uirtus, ex uirtute summū bonum nascitur. Beata igitur uita, quam philosophi quaesierunt semper & querunt, siue in cultu deorum, siue in philosophia, nulla est. Et ideo ab his non potuit reperiri, quia summum bonum non in summo quaesierunt, sed in imo. Summū autem quid est, nisi cœlum & deus, unde animus oritur: Imum quid est, nisi terra, unde corpus est? Itaque licet quidam philosophi summum bonum non corpori, sed animo dederint, tamen quoniam ad illud hanc uitam retulerunt, quæ cum corpore terminat, ad corpus reuoluti sunt: cuius est omne hoc tempus, quod transigitur in terra. Quare non immerito summum bonum non comprehenderunt, quia quicquid ad corpus spectat, & immortalitatis est expers, uanum sit necesse est. Non cadit ergo in hominem beatitudo illo modo, quo philosophi putauerunt: sed ita cadit, non ut tunc beatus sit, quum uiuit in corpore, quod utique ut dissoluatur necesse est corrumpi, sed tunc, quum anima societate corporis liberata, in solo spiritu uiuit. Hoc uno beati esse in hac uita possumus, si minime beati esse uideamur: si fugientes illecebras uoluptatum, solique uirtuti seruientes, in omnibus laboribus, miseris que uiuamus, quæ sunt exercitia & corroboramenta uirtutis: si denique asperant

Qui ob salutem  
ciuium, se morti  
obtulerint.

illam uiam difficilemque teneamus, quæ nobis ad beatitudinem patefacta est. Summum igitur bonum, quod beatos facit, non potest esse, nisi in ea religione atque doctrina, cui spes immortalitatis adiuncta est.

Quod anima sit immortalis: & quare diuina traditio Logicam non desiderat, aut philosophiam, sed Ethicam solam, in qua docenda summi philosophi errauerunt: Et quare philosophia non sit dux uitæ, & uirtutum parens, expultrixque uitiorum, quod tamen Cicero & alij astruere conati sunt. Caput XIII



Es exigere uidetur hoc loco, ut quoniam docuimus immortalitatem esse summum bonum, immortalem esse animam comprobemus: Qua de re ingens inter philosophos disceptatio est: nec quicumque tamen explicare aut probare potuerunt isti, qui uerum sentiebant de anima, expertes huius diuinæ eruditionis: nec argumenta uera quibus uincerent, attulerunt: nec testimonia quibus probarent: sed opportunius hanc questionem tractabimus in ultimo libro, quum de uita beata nobis erit differendum. Superest illa pars tertia philosophiæ, quam uocant Logicam, id est rationalem, in qua tota Dialectica, & omnis lo-

Logica.

quendi ratio continetur. Hanc diuina eruditio non desiderat, quia non in lingua, sed in corde sapientia est: nec interest quali utatur sermone: res enim, non uerba quaruntur. Et nos non de Grammatico aut Oratore, quorum scientia est, quo modo loqui deceat: sed de sapiente differimus, cuius doctrina est, quo modo uiuere oporteat. Quod si neque physica illa ratio necessaria est, neque hæc logica, quia beatos facere non possunt: restat ut in sola Ethica totius philosophiæ uis contineatur, ad quam se abiecit omnibus Socrates contulisse dicitur. In qua etiam parte quoniam philosophos errasse docui, qui summum bonum, cuius capiendi gratia generati sunt, non comprehenderunt, apparet falsam & inanem esse philosophiam: quia nec instruit ad iustitiæ munera, nec officium hominis, rationemque confirmat. Sciunt igitur errare se, qui philosophiam putant esse sapientiam: non trahantur autoritate cuiuspiam, sed ueritati potius faueant & accedant. Nullus hic temeritati locus est, in æternum stultitiæ poena subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit. Homo autem, qualiscumque est, si sibi credit, hoc est si homini credit (ut non dicam stultus, qui suum non uideat errorem) certe arrogans est, qui sibi audeat uendicare, quod humana conditio non recipit. Ille ipse Romanæ linguæ summus autor quantum fallatur, licet ex illa sententia peruidere: qui quum in libris Officiorum philosophiam nihil aliud esse dixisset, quam studium sapientiæ: ipsam autem sapientiam rerum diuinarum & humanarum scientiam, tum adiecit: Cuius studium qui uituperat, haud sanè intelligo, quidnam sit, quod laudandum putet. Nam siue oblectatio queritur animi, requiesque curarum, quæ conferri cum eorum studiis possunt, qui semper aliquid inquirunt, quod spectet & ualeat ad bene beateque uiuendum: siue ratio constantiæ uirtutisque inducitur, aut hæc ars est, aut nulla omnino per quam eas assequamur. Nullam dicere maximam rerum artem esse, quum minimarum sine arte nulla sit, hominum est parum considerate loquentium, atque in maximis rebus errantium. Si autem est aliqua disciplina uirtutis, ubi ea quaeritur, quum ab isto genere discendi discesseris: Equidem tamen operam dederim, ut quantulamcumque dicendi assequerem facultatem propter studium dicendi, tamen eloquens nunquam fui: quippe qui forum ne attigerim quidem, sed necesse est ipsa me faciat causæ bonitas eloquentem: ad quam diserte copioseque defendendam scientia diuinitatis, & ipsa ueritas sufficit. Vellem igitur Ciceronem paulisper ab inferis surgere, ut uir eloquentissimus ab homunculo non diserto doceret. Primum quidnam sit, quod laudandum putet, qui uituperat id studium, quod uocant philosophiam. Denique neque illam esse artem, qua uirtus

Philosophiæ  
laus ex Cic.

queritur

& iustitia

A & iustitia discatur, nec aliam ullam, sicut putauit. Postremo, quonia est uirtus disciplina, ubi quaerenda sit, quum ab illo discendi genere discesseris, quod ille non audiendi discendi gratia quaerebat: a quo enim posset audire, cum sciret id nemo? Sed ut in causis facere solebat, interrogatione uoluit urgere, ad confessionemque deducere, tanquam consideret, responderi prorsus nihil posse, quo minus philosophia esset magistra uirtutis. Quod quidem in Tusculanis disputationibus aperte professus est, ad eam ipsam conuersa oratione, tanquam se declamatorio dicendi genere iactaret. O uita philosophia dux, inquit, o uirtutis indagatrix, expultrixque uitiorum: quid non modo nos, sed omnino uita hominum sine te esse potuisset? Tu inuentrix legum, tu magistra morum ac disciplinae fuisti. Quasi uero aliquid per se ipsa sentiret, ac non potius ille laudandus esset, qui eam tribuit. Potuit eodem modo gratias agere cibo & potui, quia sine his rebus uita constare non possit, in quibus ut sensus, ita beneficij nihil est. At qui ut illa corporis alimenta sunt, sic animae sapientia.

Quod Lucretius & alij errauerunt, opinati sapientiam inuentam esse ab homine, & nec datam hominibus a creatore: Et quomodo Cicero suis uerbis conuincitur: & quod philosophia nec uerum docet, nec ad recte uiuendum instruit. Cap. XIII



Rectius itaque Lucretius, quum eum laudat, qui sapientiam primus inuenit: sed hoc inepte, quod ab homine inuentam putauit: Quasi uero illam alibi iacentem, homo ille quem laudabat, inuenit, tanquam tibias ad fontem, ut poetae aiunt, quod sic repertorem sapientiam, ut deum laudauit. Ita enim dicit:

Nemo (ut opinor) erit mortali corpore cretus.

Nam sicut ipsa petit maiestas cognita rerum,

Dicendum est: deus ille fuit, deus inclyte Memmi.

B Tamen non erit sic laudandus deus, quod sapientiam inuenit, sed quod hominem fecerit, qui posset capere sapientiam. Minuit enim laudem, qui partem laudat ex toto. Sed ille ut hominem laudauit, qui tamen ob id ipsum deberet pro deo haberi, quod sapere inuenit. Nam sic ait: Nonne decebit

Hunc hominem diuuum numero dignari esse?

Vnde apparet Pythagoram uoluisse laudare, qui se primus (ut dixi) philosophum nominauit: aut Milesium Thalem, qui de rerum natura primus traditur disputasse. Sed dum hominem querit extollere, rem ipsam depressit: non est enim magna, si ab homine potuit inueniri. Verum potest, ut poetae, dari uenia. At ille idem perfectus orator, summusque philosophus, ne Graecos reprehendam, quorum leuitatem semper accusat, & tamen sequitur ipsam sapientiam, quam alias donum, alias inuentum deorum uocat, poeticae figuratam laudat in faciem. Grauius etiam queritur extitisse aliquos, qui eum uituperarent. Quisquam ne, inquit, uituperare uitae parentem, & hoc paricidio se inquinare audeat, & tam impie ingratus esse? Nos ergo M. Tulli, paricidae sumus, & insuendi te iudice in culeum, qui philosophiam negamus parentem esse uitae? An tu, qui aduersus deum tam impie ingratus es (non hunc, cuius effigiem ueneraris in Capitolio sedentem, sed illum, qui mundum fecit, hominemque figurauit, qui sapientiam quoque ipsam inter caetera caelestia sua beneficia largitus est) magistram tu uirtutis, aut parentem uitae uocas: ad quam si quis accesserit, multo sit incertior necesse est, quam prius fuerit: Cuius enim uirtutis? quae ipsa ubi sita sit, adhuc philosophi non expediunt. Cuius uitae? quum ipsi doctores ante fuerint senectute ac morte confecti, quam constituerint quomodo uiui deceat. Cuius ueritatis indagatricem profiteri potes? qui saepe testaris, quum tanta multitudo fuerit philosophorum, sapientem tamen extitisse adhuc neminem. Quid ergo te magistra illa uitae docuit? An ut potentissimum consulem maledictis incesseres, eumque hostem pa-

Cicero.

Cicero Antonium in se exciuit.



C triæ uenenatis orationibus faceres? Sed omittamus illa, quæ possunt excusari fortunæ nomine. Studuisti nempe philosophiæ, & quidem sic, ut nullus unquam diligentius, quippe qui omnes cognoueris disciplinas, sicut ipse gloriari soles, eamque ipsam Latinis literis illustraueris, imitatoremq; te Platonis ostenderis. Cedo igitur quid didiceris, aut in qua secta ueritatē deprehenderis. In Academia scilicet quam secutus es, quam probasti? At hæc nihil docet, nisi ut scias te nihil scire. Tui ergo te libri arguunt, quod nihil à philosophia disci possit ad uitam. Hæc tua uerba sunt. Mihi autem non modo ad sapientiã cæci uidemur, sed ad ea ipsa quæ aliqua ex parte cerni uideantur, hebetes & obtusi. Si ergo philosophia est magistra uitæ, cur tibi cæcus, & hebes, & obtusus uidebare, quem oportuit illa docentē & sentire, & sapere, & in clarissima luce uersari? At quam confessus fueris philosophiæ ueritatem, docent ad filium cõposita præcepta, quibus mones philosophiæ quidē præcepta noscenda, uiuendum autem esse ciuilitate. Quid tam repugnans dici potest? Si noscenda sunt præcepta philosophiæ, ideo utiq; noscenda sunt, ut recte sapienterq; uiuamus. Vel si ciuilitate uiuendum est, non est igitur philosophia sapientiat: siquidē melius est ciuilitate quàm philosophice uiuere. Nam si sapientia est quæ dicitur philosophia, stulte profectò uiuit, qui non secundum philosophiam uiuit. Si autem non stulte uiuit qui ciuilitate uiuit, sequitur ut stulte uiuat qui philosophice uiuit. Tuo itaq; iudicio philosophia stultitiæ inanitatiscq; damnata est. Idem in Consolatione, id est in opere nō ioculari, hanc de philosophia sententiã tulisti: Sed nescio quis nos teneat error, aut miserabilis ignoratio ueri. Vbi est ergo philosophiæ magisteriũ? aut quid te docuit illa uitæ parens, si uerũ miserabiliter ignoras? Quod si hæc erroris ignorationiscq; confessio, penè inuito tibi ab intimo pectore expressa est, cur non tibi aliquando uerum fatebaris, philosophiam, quam tu nihil docentem in cœlum laudibus extulisti, magistratam uirtutis esse non posse?

Quod in eodem errore fuit Seneca: & quid philosophia secundum ipsum: & quod sic  
cut deus unus, & ueritas una, ita una est & simplex sapientia: Et quomodo  
do philosophorum oratio pugnet cum uita. Cap. XV

Philosophiæ  
definitio ex  
Seneca.



Idem ductus errore Seneca (quis enim uerã uiam teneret errante Cicerone?) Philosophia, inquit, nihil aliud est, quàm recte uiuendi ratio, uel honeste uiuendi scientia, uel ars rectæ uitæ agenda. Nō errabimus, si dixerimus philosophiam esse legem bene honesteq; uiuendi, & qui dixerit illam regulã uitæ, suum illi nomen reddidit. Hic planè non respexit ad commune philosophiæ nomen, quæ quum sit in plureis sectas disciplinasq; diffusa, nihilq; habeat certũ, nihil denique de quo uniuersi una mente ac uoce consentiant: quid potest esse tam falsum, quàm regulam uitæ philosophiã uocari, in qua diuersitas præceptorum rectum iter impediatur & turbetur? aut legem bene uiuendi, cuius capita longe dissonant? aut scientiam uitæ agenda, in qua nihil aliud efficitur, contraria sæpe dicendo, quàm ut nemo quicquam sciat? Quæro enim, utrum ne Academiam philosophiam putet esse, an non? Negaturum non arbitror: quod si est, nihil ergo illorum cadit in philosophiam: quæ ut omnia reddat incerta, legem abrogat, artem nullam putat, rationē subuertit, regulam deprauat, scientiã funditus tollit. Falsa igitur illa omnia, quia in rem semper incertam, & adhuc nihil explicantem cadere non possunt. Nulla itaq; ratio, uel scientia, uel lex bene uiuendi, nisi in hac unica, & uera, & cœlesti sapientia constituta est, quæ philosophis fuit ignota. Nam illa terrena, quoniam fallax est, uaria, & multiplex, sibi que tota contraria est: & sicut unus est huius mundi constitutor & rector deus, una ueritas, ita unam esse ac simplicem sapientiam necesse est: quia quicquid est uerum ac bonum, id perfectum

A ctum esse nō potest, nisi fuerit singulare. Quod si philosophia uitam posset instrue-  
 re, nulli alij nisi philosophi essent boni: & qui eam non didicissent, essent omnes  
 semper mali: quum innumerabiles existant, & semper extiterint, qui sint, aut fue-  
 rint sine ulla doctrina boni: ex philosophis autem perraro fuerit, qui aliquid in uita  
 fecerit laude dignū. Quis est tandem, qui nō uideat eos homines uirtutis, qua ipsi  
 egent, nō esse doctores: Nam si quis mores eorū diligenter inquirat, inueniet ira-  
 cundos, cupidos, libidinosos, arrogantes, proteruos, & sub obtentu sapientiae sua  
 uitia celantes, domi facientes ea, quae in scholis arguissent. Fortasse mentior accu-  
 sandi gratia, nōne id ipsum Tullius & fatetur & queritur: Quotus, inquit, quisq;  
 philosophorū inuenitur, qui sit ita moratus, ita animo & uita cōstitutus, ut ratio po-  
 stulat: qui disciplinā ueram, non ostentationē scientiae, sed legē uitae putet: qui ob-  
 temperet ipse sibi, & decretis pareat suis: Videre autem licet alios tanta leuitate &  
 iactatione, ut his fuerit non didicisse melius: alios pecuniae cupidos, alios gloriae,  
 multos libidinū seruos, ut cum eorum uita & uitij mirabiliter pugnet oratio. Ne  
 posq; Cornelius ad eūdem Ciceronē ita scribit: Tantum abest, ut ego magistrā  
 esse putem uitae philosophiā, beatāq; uitae perfectricē, ut nullis magis existimem  
 opus esse magistris uiuendi, q̄ plerisq; qui in ea disputāda uersantur. Video enim  
 magnam partem eorū, qui in schola de pudore & cōtinentia praecipiant arguissimē  
 me, eosdem in omnium libidinū cupiditatibus uiuere. Item Seneca in exhortatio-  
 nibus: Pleriq;, inquit, philosophorū tales sunt disertī in cōuiciū suum: quos si au-  
 dias in auaritiā, in libidinē, in ambitionem perorantes, iudiciū sui putes profes-  
 sos: Adeo redundant ad ipsos maledicta, in publicū missa, quos nos nō aliter intue-  
 ridecet, q̄ medicos, quorum tituli remedia habent, pyxides uenena. Quosdā ue-  
 ro nec pudor uitiorū tenet, sed patrociniā turpitudini suae fingūt, ut etiam honeste  
 peccare uideātur. Faciet sapiens ( inquit idem Seneca ) etiam quae nō probabit, ut  
 etiam ad maiora transitū inueniat: nec relinquet bonos mores, sed tēpori aptabit:  
 ut quibus alij utuntur in gloriam aut uoluptatē, utatur agenda rei causa. Deinde  
 paulō post: Omnia quae luxuriosi faciunt, quaeq; imperiti, faciet & sapiens: sed nō  
 eodem modo, eodemq; proposito. Atqui nihil interest quo animo facias, quod fe-  
 cisse uitiosum est, quia facta cernunt, animus nō uidetur. Aristippo Cyrenaicorū  
 magistro cum Laide nobili scorto fuit cōsuetudo: quod flagitiū grauis ille philoso-  
 phia doctor sic defendebat, ut diceret, multū inter se, & ceteros Laidis amatores  
 interesse: quod ipse haberet Laidem, alij uero à Laide haberentur. O praecleara &  
 imitanda bonis sapientia: huic uero liberos in disciplinā dares, ut discerent habere  
 meretricem: Aliquid inter se, ac perditos interesse dicebat, scilicet quod illi bona  
 sua perderent, ipse gratis luxuriaret. In quo tamen sapientior meretrix fuit, quae  
 sic philosophum habuit pro lenone, ut ad se omnis iuuentus doctoris exemplo &  
 autoritate cōcurreret corrupta sine ullo pudore. Quid ergo interfuit, quo animo  
 philosophus ad meretricē famosissimā cōmearet, quū eum populus & riuales sui  
 uiderent omnibus perditis nequiorē: Nec satis fuit ita uiuere, sed docere etiam li-  
 bidines cōepit, ac mores suos de lupanari ad scholā transtulit, differens uoluptatē  
 corporis esse summū bonum. Quae doctrina execrabilis & pudenda, nō in corde  
 philosophi, sed in sinu meretricis est nata. Nam quid ego de Cynicis loquar, qui  
 bus in propatulo coire cum coniugibus mos fuit: quid mirū si à canibus, quorum  
 uitam imitantur, etiam uocabulum nomenq; traxerunt: Nullum igitur in hac di-  
 sciplina magisterium uirtutis est, quum etiam illi, qui honestiora praecipunt, aut  
 non faciunt ipsi quae suadent, aut si faciunt ( quod raro accidit ) non disciplina eos  
 ad rectum, sed natura perducatur, quae saepius etiam indoctos impellit ad laudem,

Philosophi à  
uirtute alieni

Aristippus Lai-  
dem amauit.

Cynicorum  
impudentis

C Quod recte docentes, & male uiuentes (teste Cicerone) nō utilitatē ex philosophia, sed inanem percipiunt delectationem: Et quod sapientia seipsam semper exercet in bonis actibus: Et quare non philosophia, sed sapientia ipsi iugiter insistendū sit. Cap. XVI



Erunt enim se perpetuæ desidiæ tradant, nullamq; uirtutē capeffant, & omnem suam uitam nihil aliud quā in eloquentiā peragant, quid aliud quā inertes putari debent? Sapientia autem nisi in aliquo actu fuerit, quo uim suam exerceat, inanis & falsa est. Recte q; Tullius ciuiles uiros, qui Rempublicam gubernant: qui urbes aut nouas constituunt, aut constitutas æquitate tueantur: qui salutem libertatemq; ciuium uel bonis legibus, uel salubribus cōsilijs, uel iudicijs grauib; cōferuent, philosophiæ doctoribus præfert. Bonos enim facere oportet, potius quā in clausis in angulis faciendâ præcipere, quæ ne ipsi quidem faciūt, qui loquūtur: & quoniam se à ueris actibus remouerunt, apparet eos exercendæ linguæ causa, uel aduocandi gratiâ, artem ipsam philosophiæ reperisse. Qui autem docent tantū, nec faciunt, ipsi præceptis suis detrahunt pondus. Quis enim obtemperet, quum ipsi præceptores doceant nō obtemperare? Bonū est autem recta & honesta præcipere: sed nisi & facias, mendacium est, & incōgruens atq; ineptum, nō in pectore, sed in labijs habere bonitatem. Nō

Philosophia  
nō utilitatis,  
sed oblectationis  
gratia  
petitur.

ergo utilitatem ex philosophiâ, sed oblectationē petunt. Quod quidem Cicero testatus est: Profecto, inquit, omnis istorū disputatio, quanquam uberrimos fontes uirtutis & scientiæ cōtineat, tamen collata cum horum actis, perfectisq; rebus, uereor ne tantum uideatur attulisse negocijs hominū, quantum oblectationem ocij. Vereri quidem non debuit, quum uerum diceret: sed quasi timeret, ne proditū mysterij reus à philosophis citaretur. Non est ausus confidenter pronuciare, quod  
D fuit uerum, illos nō ideo disputare, ut doceant quicquā, sed ut se oblectent in ocio: qui quoniam autores sunt rerum gerendarū, nec ipsi quicquā gerunt, pro loquacibus sunt habendi. Sed profectō, quia nihil boni ad uitam afferebant, nec ipsi decretis suis obtemperauerūt, nec quisquam per tot secula inuentus est, qui eorum legibus uiueret. Abijcienda est igitur omnis philosophia: quia nō studendū est sapientiæ, quod sine ac modo careat, sed sapiendū est, & quidem mature. Non enim nobis altera uita cōceditur, ut quum quæramus in hac sapientiâ, in illa sapere possimus: in hac utrunque fieri necesse est. Cito inueniri debet, ut cito suscipi possit, ne quid pereat ex uita, cuius finis incertus est. Ciceronis Hortensius contra philosophiam differens, circūuenitur arguta cōclusionē: qui quum diceret philosophandum nō esse, nihilominus philosophari uidebat: quoniam philosophi est, quid in uita faciendū, uel nō faciendū sit, disputare. Nos ab hac calumniâ immunes ac liberi sumus, qui philosophiâ tollimus: quia humanæ cogitationis inuētio est. Sophiâ defendimus, quia diuina traditio est, eamq; ab omnibus suscipi oportere testamur. Ille quū philosophiâ tolleret, nec melius aliquid afferret, sapientiâ tollere putabatur: eoq; facilius de sententiâ pulsus est, quia cōstat hominē non ad stultitiâ, sed ad sapientiam nasci. Præterea illud quoq; argumentū contra philosophiam ualeat plurimum, quo idem est usus Hortensius, ex eo ipso posse intelligi philosophiam nō esse sapientiam, quod principium & origo eius appareat. Quando, inquit, philosophi esse cœperunt? Thales ( ut opinor ) primus: recens hæc quidem ætas. Vbi ergo apud antiquiores latuit amor iste inuestigandæ ueritatis? Idem Lucretius ait:

Philosophie  
origo.

Deniq; natura hæc rerum ratioq; reperta est  
Nuper: & hanc primus cum primis ipse repertus  
Nunc ego sum, in patrias qui possum uertere uoces.

Et Seneca: Nondū sunt, inquit, mille anni, ex quo initia sapientiæ nota sunt. Multis ergo

**A** tis ergo seculis humanum genus sine ratione uixit. Quod irridens Persius, postq̄, inquit, sapere urbi cum pipere & palmis uenit: tanquā sapientia cum saporis meribus fuerit inuecta: quæ si secundum hominis naturam est, cum homine esse cœperit necesse est. Si uero non est, nec capere quidem illam posset humana natura. Sed quia recepit, igitur à principio fuisse necesse est: ergo philosophia, quia non à principio fuit, non est eadem uera sapientia: sed uidelicet Græci, qui sacras ueritatis literas non attigerant, quemadmodū deprauata esset sapientia, nesciuerunt. Et ideo quum uacare sapientia humanam uitam putarent, philosophiā cōmentī sunt, id est, latentem atque ignotam sibi ueritatem differendo eruere uoluerunt: quod studium per ignorantiam ueri, sapientiam putauerunt.

*Quæ fuit ipsa doctrina Epicuri, quæ moribus omnium appositissima loquebatur: Et quomodo Leucippum & Democritum habuerit autores erroris, & fabros atomorum, & assertores uoluptatis. Cap. XVII*



**L**ixi de philosophia ipsa q̄ breuiter potui, nunc ad philosophos ueniamus: non ut cum eisdem certemus, qui stare non possunt, sed ut eos fugientes atq; deiectos nostro cāpo insequamur. Epicuri disciplina multo celebrior semper fuit quàm cæterorū: non quia ueri aliquid afferat,

*Cur Epicuri secta celebrior cæteris.*

**B** sed quia multos ad populare nomen uoluptatis inuitat. Nemo enim non in uitia pronus est. Præterea ut ad se multitudinē cōtrahat, apposita singulis quibusq; moribus loquitur. Desidiosum uetat literas discere: auarū populari largitione liberat: ignauū prohibet accedere ad Rempublicā: pigrum exercere, timidum militare. Irreligiosus audit deos nihil curare: inhumanus, & suis cōmodis seruiens, iubetur nihil cuiquā tribuere: omnia enim sui causa facere sapientem. Fugienti turbam, solitudo laudatur. Qui nimium parcus est, discit aqua & polenta uitam posse tolerare. Qui odit uxorē, huic enumerātur cœlibatus bona: habenti malos liberos, orbitas prædicatur. Aduersus impios parentes nullum esse uinculū naturæ: impatienti ac delicato, dolorem esse omnium malorum maximum dicitur: forti, etiam in tormentis beatum esse sapientē. Qui claritati ac potentia studeat, huic præcipiunt reges colere. Qui molestiam ferre non potest, huic regiam fugere. Ita homo astutus ex uarijs diuersisq; moribus circulū colligit: & dum studeat placere omnibus, maiore discordia secum ipse pugnauit, quàm inter se uniuersi. Vnde autē disciplina eius tota descendat, quam originem habeat, explicandū est. Videbat Epicurus bonis aduersa semper accidere, paupertatem, labores, exilia, charorum amissiones: malos cōtrā, beatos esse, augeri potentia, honoribus affici: uidebat innocentiam minus tutam, scelera impune cōmiti: uidebat sine delectu morum, sine ordine ac discrimine anorum sæuire mortem, sed alios ad senectutem peruenire, alios infantes rapi, alios iam robustos interire, alios in primo adolescentiæ flore immaturis funeribus extinguī: in bellis potius meliores & uinci, & perire. Maxime autē cōmouebat, homines in primis religiosos grauioribus malis affici: his autē, qui aut deos omnino neglexerūt, aut non pie coluerunt, uel minora incōmoda euenire, uel nulla: ipsa etiam templa fulminibus cōflagrare. Quod Lucretius queritur, quū dicit de deo:

Tum fulmina mittat, & adæis

Sæpe suas disturbet: & in deserta recedens

Sæuiat exercens telum: quod sæpe nocenteis

Præterit, exanimatq; indignos, inc̄p merenteis.

Quod si uel exiguam ueritatis auram colligere potuisset, nunq̄ diceret ædes illum suas disturbare: quū ideo disturbet, quod nō sunt suæ. Capitolium, quod est Romæ urbis & religionis caput summū, non semel, sed sæpius fulmine ictum consta-

*Capitolium sæpius ictum.*

c grauit. Homines autem ingeniosi quid de hoc existimauerint, ex dicto Ciceronis apparet: qui ait, diuinitus extitisse illam flammam, non quæ terrestre illud domicilium louis deleteret, sed quæ sublimius magnificētiusq; deposceret. Qua de re etiā in libris consulatus sui eadem dixit, quæ Lucretius:

Nam pater altitonans stellanti nixus Olympo,  
Ipse suas arces, atq; inclyta templa petiuit,  
Et Capitolinis iniecit sedibus ignes.

Pertinaci ergo stultitia non modo uim maiestatemq; ueri dei nō intellexerunt, sed etiam impietatem sui erroris auxerunt: qui templum cœlesti iudicio sæpe damnatum restituere contra fas omne contenderint. Quum hæc igitur cogitaret Epicurus, earum rerum uelut iniquitate inductus (sic enim causam rationemq; ignorantem uidebatur) existimauit nullam esse prouidentiam. Quod quum sibi persuasisset, suscepit etiam defendendū, sic in errores inextricabiles se ipse inclusit. Si enim prouidentia nulla est, quomodo tam ordinate, tam disposite mundus effectus est: Nulla, inquit, dispositio est: multa enim facta sunt aliter, quàm fieri debuerunt. Et inuenit homo diuinus, quæ reprehēderet. Quæ singula si uacaret refellere, facile ostenderem, nec sapientem hunc fuisse, nec sanum. Item si nulla prouidentia est, quomodo animalū corpora tam prouidenter ordinata sunt, ut singula quæq; membra mi-

*Epicuri opinionones.*

rabili ratione disposita, sua officia conseruent? Nihil, inquit, in procreandis animalibus prouidentia ratio molita est: nam neq; oculi facti sunt ad uidendum, neque aures ad audiendū, neq; lingua ad loquendum, neq; pedes ad ambulandū: quoniam prius hæc nata sunt, quàm esset loqui, audire, uidere, ambulare. Itaq; nō hæc ad usum nata sunt, sed usus ex illis natus est. Si nulla prouidentia est, cur imbres cadunt, fruges oriuntur, arbuta frondescunt? Non, inquit, semper animantium causa ista fiunt: quoniam prouidentia nihil profunt, sed omnia sua sponte fieri necesse est. Vnde ergo nascuntur, aut quomodo fiunt omnia, quæ geruntur? Nō est, inquit, prouidentia opus: sunt enim semina per inane uolitantia, quibus inter se temere conglobatis, uniuersa gignuntur atq; concresecunt. Cur igitur illa non sentimus, aut nō cernimus? Quia nec colorem habent, inquit, nec calorem ullum, nec odorem, saporis quoq; & humoris expertia sunt, & tam minuta, ut secari ac diuidi nequeāt. Sic eum, quia in principio falsum susceperat, consequentiū rerum necessitas, ad deliramenta perduxit. Vbi enim sunt, aut unde ista corpuscula? Cur illa nemo præter unum Leucippū somniauit: à quo Democritus eruditus, hæreditatem stultitiæ reliquit Epicuro. Quæ si sint corpuscula, & quidem solida, ut dicunt, sub oculos certe uenire possunt. Si eadem est natura omnium, quomodo res uarias efficiunt? Vario, inquit, ordine ac positione conueniunt, sicut literæ, quæ quum sint pauca, uarie tamen collocata, innumerabilia uerba cōficiunt. At literæ uarias formas habent. Ita, inquit, & hæc ipsa primordia: nam sunt aspera, sunt hamata, sunt leuia. Secari ergo & diuidi possunt, si aliquid inest illis, quod emineat. Si autem leuia sunt, & humoris indigēt, cohærere nō possunt. Hamata igitur esse oportet, ut possint inuicem concatenari. Quum uero tam minuta esse dicantur, ut nulla ferri acie disijci ualeant, quomodo hamos, aut angulos habent? Quos, quia extant, necesse est posse diuellī. Deinde quo fœdere inter se, qua mente cōueniunt, ut ex his aliquid constituatur, si sensu careant, nec coire tam disposite possunt: quia non potest quicquam rationale perficere, nisi ratio. Quam multis coargui hæc uanitas potest, sed properat oratio. Hic est ille,

*Atom.*

Qui genus humanum ingenio superauit: & omnes  
Restrinxit stellas, exortus uti æthereus sol.

Quos

**A** Quos equidem uersus nunquam sine risu legere possum. Non enim de Socrate, aut Platone hoc saltem dicebat, qui uelut reges habentur philosophorum, sed de homine, quo sano & uigente nullus æger ineptius delirauit. Itaque poëta inanissimus leonis laudibus murem nõ ornauit, sed obruit & obtriuuit. At idem nos metu liberat mortis, de qua hæc ipsius uerba sunt expressa: Quando nos sumus, mors nõ est: quando nos nõ sumus, mors est: mors ergo nihil ad nos. Quam argute nos fellit, quasi uero transacta mors timeatur, quia iam sensus ereptus est: ac nõ ipsum mori, quo sensus eripitur. Est igitur tempus aliquod, quo & nos iam nõ sumus, & mors tamen nondũ est. Idq; ipsum uidetur miserũ esse, & quod mors esse incipit, & nos esse desinimus. Nec frustra dictũ est, mors misera nõ est: aditus ad mortem est miser, hoc est morbo tabescere, ictum perpeti, ferrum corpore excipere, arde re igni, dentibus bestiarũ laniari. Hæc sunt quæ timentur, nõ quia mortẽ afferunt, sed quia dolorem magnũ. Quin potius effice, ne dolor malum sit. Omniũ, inquit, malorũ maximũ est. Quid ergo non possum nõ timere, si id, quod mortem antecedit aut efficit, malum est? Quid, quod totum illud argumentũ falsum est? quia nõ intereunt animæ. Verè, inquit, nam quod cũ corpore nascit, cum corpore intereat necesse est. Iam superius dixi, differre hunc locum melius, & opere ultimo reseruare, ut hanc Epicuri persuasionẽ, siue illa Democriti, siue Dicaarchi fuit, argumẽtis & diuinis testimonijs redarguam. Verũ ille fortasse impunitatẽ uitij suis spon dicit: Fuit enim turpissimæ uoluptatis assertor, cuius capiendæ causa nasci hominẽ putauit. Quis quũ hoc affirmari audiat, uitij & sceleribus absteineat? Nam si perituræ sunt animæ, appetamus diuitias, ut omnes suauitates capere possimus. Quæ si nobis defunt, ab ijs q̄ habent auferamus clam, dolo, ui: eo magis, si humanas res nullus deus curat: quodcumq; spes impunitatis arriserit, rapiamus, necemus. Sapientis est enim malefacere, si & utile sit, & tutum: quoniã si quis cœlo deus est, nõ irascitur cuiq; . Aequè stulti est & benefacere: quia sicut ira nõ cõmouetur, ita nec gratia tangit. Voluptatibus igitur quoquo modo possimus, seruiamus. Breui enim tempore nulli erimus omnino. Ergo nullũ diem, nullũ deniq; tẽporis punctũ fluere nobis sine uoluptate patiamur: ne quia ipsi quandoq; perituri sumus, id ipsum quod uiuimus, pereat. Hoc ille tametsi non dicit uerbo, re tamen ipsa docet. Nam quũ disputat omnia sapiẽtem sua causa facere, ad utilitatẽ suam refert omnia, quæ agit. Itaq; qui audit hæc flagitia, nec boni quicq; faciendũ putabit, quoniã benefacere ad utilitatẽ spectat alienã: nec à scelere abstinentiũ, quia maleficio præda coniuncta est. Archipirata quisq; , uel latronũ ductor, si suos ad grassandũ cohortetur, quo alio sermone uti potest, q̄ ut eadem dicat, quæ dicit Epicurus: deos nihil curare, nõ ira, non gratia tangi: inferorum pœnas non esse metuendas, quod animæ post mortem occidãt, nec ulli omnino sint inferi: uoluptatẽ esse maximũ bonum: nullam esse humanã societatem: sibi quencq; cõsulere: neminem esse qui alterum diligat, nisi sua causa: mortem non esse metuendam forti uiro, nec ullum dolorem: quin etiam si torqueatur, si uratur, nihil se curare dicat. Est planè cur quisquam putet hanc uocem uiri esse sapientis, quæ potest latronibus aptissime commodari:

*Quomodo Pythagorici & Stoici contrario Epicurcis errore desipiant: sic animarũ immortalitatem statuentes, ut eas in uaria corpora transire mentiantur, & uoluntariam mortem persuaferint inaniter philosophantibus. Cap. XVIII*



**L**ij autem cõtraria dixerunt, superesse animas post mortem, & hi sunt maxime Pythagorici ac Stoici: quibus & si ignoscendum est, quia uerum sentiunt, non possum tamen non reprehendere eos, qui nõ scientia, sed casu inciderunt in ueritatem. Itaq; in eo ipso, quod recte sentie-

**C** bant, aliquid errauerūt. Nam quum timerent argumentū illud, quo colligitur, necesse est ut occidant animæ cum corporibus, quia cū corporibus nascūtur: dixerūt non nasci animas, sed insinuari potius in corpora, & de alijs in alia migrare corpora. Nō putauerūt aliter posse fieri, ut supersint animæ post corpora, nisi uideantur fuisse ante corpora. Par igitur ac propè similis error est partis utriusq;: Sed hæc in præterito falsa est, illa in futuro. Nemo enim uidit, quod est uerissimū, & nasci animas, & nō occidere: quia cur id fieret, aut quæ ratio esset, homines nescierūt. Multa

*Qui sibijpsis  
manus intulerunt.*

ergo ex ijs, qui æternas esse animas suspicabant, tanq̃ in coelū migraturi essent, sibijpsis manus intulerūt, ut Cleanthes & Chrylippus, ut Zeno & Empedocles, qui se in ardentis Aetnæ specum intempesta nocte deiecit, ut quum repente nō apparuisset, abiisse ad deos crederet. Ex Romanis Cato, qui fuit in omni sua uita Socraticæ uanitatatis imitator. Nam Democritus in alia fuit persuasione. Sed tamen

Sponte sua leto caput obuīus obtulit ipse.

Quo nihil sceleratius fieri potest. Nam si homicida nefarius est, qui hominis extirctor est, eidem sceleri obstrictus est, qui se necat, quia hominem necat: imò uero maius esse id facinus existimandum est, cuius ultio deo soli subiacet. Nam sicut in hanc uitam nō nostra sponte uenimus, ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, eiusdem iussu nobis recedendū est: qui nos in hoc corpus induxit tandiū habitaturos, donec iubeat emitti. Et si uis aliqua inferatur, æqua mente patiendum est: quum extincta innocentis anima inulta esse nō possit: habeamusq; uindicem magnū, cui soli uindicta integra semper est. Homicidæ igitur illi omnes philosophi, & ipse Romanæ sapiētiae princeps Cato, qui antequam se occideret, perlegisse Platonis librum dicitur, qui est scriptus de æternitate ani-

**D** marum, & ad summum nefas philosophi autoritate cōpulsus est. Et hic tamen aliam quam moriendī causam uidetur habuisse, odium seruitutis. Quid Ambraciotes ille, qui, quum eundē librū perlegisset, præcipitem se dedit: uerisimile nullam aliam ob causam, nisi quod Platoni credidit: Execrabilis profus, ac fugienda doctrina, si abigit homines à uita. Quod si scisset Plato atq; docuisset, à quo, & quomodo, & quibus, & quæ ob facta, & quo tempore immortalitas tribuatur, nec Cleombrotū impegisset in mortem uoluntariā, nec Catonem, sed eos ad uitam & ad iustitiā potius erudisset. Nam Cato uidetur mihi causam quæsisse moriendī, non tam ut Cæ-

*Cato Uticensis.*

sarem fugeret, quàm ut Stoicorū decretis obtemperaret, quos sectabat, nomenq; suum grandi aliquo facinore clarificaret: cui quid mali accidere potuerit, si uiueret, nō inuenio. Caius enim Cæsar, ut clemens erat, nihil aliud efficere uolebat, etiam in ipso belli ciuilibis ardore, q̃ ut bene mereri de Republica uideretur, duobus optimis ciuibus Cicerone & Catone seruat. Sed redeamus ad eos, qui mortē pro bono laudāt. De uita quereris quasi uiueris, aut unquā tibi ratio cōstiterit, cur omnino sis natus. Nōne igitur tibi uerus ille & cōmunis omnium pater, Terentianum illud iure increpauerit: prius disce quid sit uiuere, si displicebit uita, tum istoc utilis. Indignaris te malis esse subiectū, quasi quicquā merearis boni, qui patrem, qui dominum, qui regem tuum nescis, qui quamuis clarissimā lucem intuearis oculis, mente tamen cæcus es, & in profundis ignorantiae tenebris iaces. Quæ ignorantia effecit, ut quosdam dicere nō puderet, idcirco nos esse natos, ut scelerū poenas lueremus: quo quid delirius dici possit, nō inuenio. Vbi enim, uel quæ scelera potuimus admittere, qui omnino nō fuimus? Nisi forte credemus inepto illi seni, qui se in priori uita Euphorbū fuisse mentitus est. Hic, credo, quod erat ignobili genere natus, familiam sibi ex Homeri carminibus adoptauit. O miram & singularem

*Pythagoras*

Pythagoræ memoriā, O miseram obliuionē nostrū omnīū, qui nesciamus quid ante

**A** ante fuerimus, sed fortasse uel errore aliquo, uel gratia sit effectum, ut ille solus Le-  
thaum gurgitem nō attigerit, nec obliuionis aquam gustauerit, uidelicet senex ua-  
nus ( sicut ociosæ aniculæ solent ) fabulas tanquā infantibus credulis finxit. Quod  
si bene sensisset de ijs, quibus hæc locutus est, si homines eos existimasset, nunquā  
sibi tam petulanter mentiendi licentiam uendicasset: sed deridenda hominis leuissi-  
mi uanitas. Quid Cicero faciemus: qui quum in principio Consolationis suæ di-  
xisset, luendorū scelerū causa nasci homines: iterauit id ipsum postea, quasi obiur-  
gans eum, qui uitam non esse malis plenam putet. Recte ergo profatus est, errore  
ac miserabili ueritatis ignorantia se teneri.

*Quod Cicero & alij sapientissimi immortalitatem animarum, sed infideliter docent: Et quod mala  
uel bona mors sit ponderanda ex antea acta uita, & gratia dei. Cap. XIX*



**T** illi qui de mortis bono disputant, quia nihil ueri sciunt, sic argumen-  
tantur. Si nihil est post mortem, non est malum mors, aufert enim sensu-  
sum mali. Si autem semper sunt animæ, est etiam bonum, quia immor-  
talitas sequitur. Quam sententiā Cicero de legibus sic explicauit: Gra-  
tulemurq; nobis, quoniam mors aut leuiorem, q̄ qui est in uita, aut certe non dete-  
riorem est allatura statum: nam sine corpore animo uigente diuina est uita, sensu  
carēti nihil profectō est mali. Argute, ut sibi uideat, quasi nihil aliud esse possit. At-  
qui utrunq; hoc falsum est. Docent enim diuinæ literæ, non extingui animas, sed  
aut pro iustitia præmio affici, aut pœna pro sceleribus sempiterna. Nec enim fas  
est, aut eum, qui sceleratus in uita feliciter fuerit, effugere quod meretur: aut eum  
qui ob iustitiam miserrimus fuerit, sua mercede fraudari. Quod adeo uerū est, ut  
idem Tullius in Consolatione, nō easdem sedes incolere iustos atq; impios prædi-  
cauerit: Nec enim omnibus, inquit, iisdem illi sapientes arbitrati sunt eundem cur-  
sum in cœlum patere: nam uitijs & sceleribus contaminatos deprimi in tenebras,  
atq; in cœno iacere docuerunt: Castos autē animos, puros, integros, incorruptos,  
bonis etiam studijs atque artibus expolitos, leui quodam & facili lapsu ad deos, id  
est ad naturam sui similem peruolare. Quæ sententia superiori illi argumento re-  
pugnat: Illud enim sic assumptū est, tanquam necesse sit omnem hominem natum  
immortalitate donari. Quod igitur erit discrimen uirtutis ac sceleris, si nihil inter-  
est: utrum ne Aristides sit aliquis, an Phalaris: utrum Cato, an Catilina: Sed hanc  
repugnantiam rerum sententiarumq; non cernit, nisi qui tenet ueritatem. Si quis igitur  
nos roget: utrum ne mors sit bonū, an malum: respondebimus, qualitatem eius  
ex uitæ ratione pendere. Nam sicut uita ipsa bonū est, si cum uirtute uiuitur, malū,  
si cum scelere: ita & mors ex præteritis uitæ actibus ponderāda est. Ita fit, ut si uita  
in dei religione transacta sit, mors malum non sit, quia translatio est ad immortalitatem:  
sin aliter, malum sit necesse est: quoniam, ut dixi, ad æterna supplicia trans-  
mittit. Quid ergo dicemus, nisi errare illos, qui aut mortem appetunt tanquam bo-  
num, aut uitam fugiunt tanquam malum: nisi quod sunt iniquissimi, qui paucio-  
ra mala nō compensant bonis plurimis. Nam quum omnem uitam per exquisitas  
& uarias traducant uoluptates, mori cupiunt, si quid forte his amaritudinis super-  
uenerit: & sic habent, tanquam illis nunquam fuerit bene, si aliquando fuerit ma-  
le. Damnant igitur uitam omnem, bonisq; pleni nihil aliud quam male opinantur.  
Hinc nata est inepta illa sententia, hanc esse mortem, quam nos uitam putamus: il-  
lam uitam, quam nos pro morte timemus: ita primum bonum esse non nasci, se-  
cundum citius mori. Quæ ut maioris sit autoritatis, Sileno attribuitur. Cicero in  
Consolatione: Non nasci, inquit, longe optimū, nec in hos scopulos incidere uitæ:  
Proximum autem, si natus sis, quamprimū mori, tanquam ex incendio effugere

*Mortis qualitas ex uitæ ratione diiudicanda.*



C uiolentiā fortunæ. Credidisse illi uanissimo dicto exinde apparet, quod adiecit aliquid de suo ut ornaret. Quæro igitur, cui esse optimum putet non nasci, quum sit nullus omnino qui sentiat: Nam ut bonū sit aliquid aut malum, sensus efficit. Deinde cur omnium uitam nihil aliud esse quam scopulos & incendiū putauerit: quasi aut in nostra fuerit potestate, ne nasceremur, aut uitam nobis fortuna tribuat, non deus, aut uiuendi ratio quicquam simile incendio habere uideatur. Non dissimile Platonis illud est, quod aiebat se gratias agere naturæ. Primum, quod homo natus esset potius quam mutum animal: deinde, quod mas potius quam fœmina: quod Græcus quam Barbarus: postremo, quod Atheniensis, non Thebanus: & quod temporibus Socratis. Dicitur non potest, quantam mentibus cæcitatem, quantosque pariat errores ignorantio ueritatis. Ego planè contenderim, nunquam quicquam dictum esse in rebus humanis delirius: quasi uero si aut barbarus, aut mulier, aut astutus denique natus esset, idem ipse Plato esset, ac non illud ipsum quod natus fuisset. Sed Pythagoræ uidelicet credidit: qui ut uetaret homines animalibus uesci, dixit, animas de corporibus in aliorum animalium corpora commeare: quod & uanum & impossibile est. Vanum, quia necesse non fuit ueteres animas in noua corpora inducere, quum idem artifex, qui primas aliquando fecerat, potuerit semper nouas facere. Impossibile, quia rectæ rationis anima tam immutare naturam status sui non potest, quam ignis aut deorsum niti, aut in transuersum, fluminis modo, flammam suam fundere. Existimauit ergo homo sapiens fieri potuisse, ut anima, quæ tunc erat in Platone, in aliquod mutū animal includeretur, essetque humano sensu prædita, ut intelligeret ac doleret incongruenti se corpore oneratam. Quanto sanius faceret, si gratias se agere diceret, quod ingeniosus, quod docilis natus esset, quod in his opibus, ut liberaliter erudiretur. Nam quod Athenis natus est, quid in eo beneficij fuit: An non plurimi extiterunt in alijs ciuitatibus excellenti ingenio atque doctrina uiri, qui meliores singuli, quam omnes Athenienses fuerunt: Quanta hominum millia fuisse credamus, qui & Athenis nati, & temporibus Socratis, indocti tamen ac stulti fuerunt: Non enim aut parietes, aut locus, in quo quisque est effusus ex utero, conciliat homini sapientiam. Quid uero attinuit, Socratis se temporibus natum gloriari: Num Socrates ingenia discipulis potuit dare: Non uenit in mentem Platoni, Alcibiadæ quoque & Critiam eiusdem Socratis assiduos auditores fuisse, quorum alter hostis patriæ acerrimus fuit, alter crudelissimus omnium tyrannorum.

Quibus de re  
bus Plato gra-  
tias egit natus  
r.e.

Pythagoræ  
metempsychosis.

Alcibiades &  
Critias.

Quod Socrates in eo fuit prudentior cæteris, quia à perscrutatione cœlestium & naturalium  
causis disputationem suspendit: in quibus temere consumitur ingenium & tempus:  
& in multis desipuit, quorum subijciuntur exempla. Cap. XX



Ideamus nunc quid in Socrate ipso tam magnū fuerit, ut homo sapiens meritò gratias ageret, illis temporibus se esse natum. Non inficior fuisse illum paulò cordatiorem, quam cæteros, qui naturam rerum putauerunt ingenio posse comprehendere. In quo illos non tantum excordes fuisse arbitror, sed etiam impios: quod in secreta illius cœlestis prouidentiae, curiosos oculos uoluerunt immittere. Romæ, & in plerisque urbibus scimus esse quaedam sacra, quæ aspici à uiris nefas habetur. Abstinent igitur aspectu, quibus illa contaminari non licet: & si forte uel errore, uel casu quopiam uir aspexerit, primo poena eius, deinde instauratione sacrificij, scelus expiatur. Quid his facias, qui inconcessa scrutari uolunt: Nimirum multo sceleratiores, qui arcana mundi, & hoc cœleste templum profanari impijs disputationibus quærunt, quam qui ædem Vestæ, aut Bonæ deæ, aut Cereris intrauerunt: quæ penetralia, quamuis adire uiris non liceat, tamen à uiris fabricata sunt. Hi uero non tantum impietatis crimen effugiunt,

A giunt, sed quod est multo indignius, eloquentiæ famam, aut ingenij gloriam cōsequuntur. Quid si aliquid inuestigare possent? Sunt enim tam stulti in asseuerādo, quā improbi in quærendo, quum neq; inuenire quicq; possint, nec defendere, etiā si inuenerint. Nam si uerū uel fortuito uiderint, quod sapius cōtingit, committunt ut ab alijs id pro falso refellatur: non enim descendit aliquis de cœlo, qui sententiā singulorū opinionibus ferat: Quapropter nemo dubitauerit eos, qui ista conquirant, stultos, ineptos, insanos esse. Aliquid ergo Socrates habuit cordis humani, qui quū intelligeret hæc non posse inueniri, ab eiusmodi quæstionibus se remouit. † Vereorq; in eo solo: multa enim sunt eius nō modò laude indigna, sed etiam reprehensione dignissima, in quibus fuit suorū similimus. Ex his unum eligam, quod ab omnibus sit probatum. Celebre hoc prouerbiū Socrates habuit: Quod supra nos, nihil ad nos. Procumbamus igitur in terram, & manus nobis ad præclara opera datas, cōuertamus in pedes. Nihil ad nos cœlum, ad cuius contemplationem sumus excitati: nihil deniq; lux ipsa pertineat. Certe uictus nostri causa de cœlo est. Quod si hoc sensit, non esse de rebus cœlestibus disputandū, ne illorū quidem rationem poterat cōprehendere, quæ sub pedibus habebat. Quid ergo? num errauit in uerbis? Verisimile nō est, sed nimirū id sensit, quod locutus est, religioni minime seruiendū. Quod si aperte diceret, nemo pateretur. Quis enim non sentiat, hunc mundū tam mirabili ratione perfectū, aliqua prouidentia gubernari? Quandoquidē nihil est, quod possit sine ullo moderatore cōsistere. Sic domus ab habitatore deserta dilabit: Nauis sine gubernatore abit pessum: Et corpus relicū ab anima defluit: nedum putemus tantam illam molem aut cōstrui sine artifice, aut stare sine rectore tandiū potuisse. Quod si publicas illas religiones uoluit euertere, nō improbo, quin etiam laudabo, si ipse quidē melius inuenerit. Verum idem per canem & anserem deierabat. O hominem scurrā (ut ait Zeno Epicureus) ineptum, perditū, desperatum, si cauillari uoluit religionē: dementem, si hoc serio fecit, ut animal turpissimū pro deo haberet. Quis iam superstitiones Aegyptiorū audeat reprehēdere, quas Socrates Athenis autoritate cōfirmauit sua? Illud uero nōne summæ uanitatis, quod ante mortē familiares suos rogauit, ut Aesculapio gallum, quem uouerat, pro se sacrarent? Timuit uidelicet, ne apud Rhadamanthū receptorem uoti reus fieret ab Aesculapio. Dementissimū hominem putarem, si morbo affectus perisset. Quū uero hoc sanus fecerit, est ipse insanus, qui eum putet esse sapientem. En cuius temporibus natum esse se homo sapiens gratuletur.

† Verior

Socratis dictum.

Socrates Aesculapio gallū uouit.

Quod Plato didicerit à Socrate ea, quæ si obtineret, humani generis periret societas. Caput XXI



Ideamus tamen quid illum Socrates docuerit, qui quum totam physicam repudiasset, eò se contulit, ut de uirtute atq; officio quæreret. Itaq; non dubito, quin auditores suos iustitiæ præceptis erudierit. Docente igitur Socrate non fugit Platonem, iustitiæ uim in æquitate consistere: siquidem omnes pari conditione nascuntur. Ergo, inquit, nihil priuati ac proprij habeant: sed ut pares esse possint, quod iustitiæ ratio desiderat, omnia in commune possideant. Fieri hoc potest, quandiū de pecunia dici uideatur. Quod ipsum quā impossibile sit, & quā iniustū, poteram multis rationibus ostendere. Concedamus tamen ut possit fieri. Omnes enim sapientes erunt, & pecuniam contemnent. Quò ergo illum cōmunitas ista perduxit? Matrimonia quoq; inquit, cōmunia esse debent: scilicet ut ad eandem mulierē multi uiri, tanquam canes confluant, & is utiq; obtineat, qui uiribus uicerit: aut si sapientes sunt, ut philosophi, expectent, ut uicibus tanquam lupanar habeant. O miram Platonis æquitatē. Vbi

Plato statuit omnia cōmunia.

**C** est igitur uirtus castitatis: ubi fides coniugalitatis: quæ si tollas, omnis iustitia sublata est. At idem dixit, beatas ciuitates futuras fuisse, si aut philosophi regnarent, aut reges philosopharent. Huic ergo tam iusto, tam æquo uiro regnū daret, qui alijs sustulisset sua, alijs cōdonasset aliena: prostituisset pudicitiam mulierū: quæ nullus unquam nō modò rex, sed ne tyrānus quidē fecit. Quā uero intulit rationē turpissimi huius cōsiliij, sic inquit: Ciuitas concors erit, & mutui amoris constricta uinculis, si omnes omniū fuerint & mariti, & patres, & uxores, & liberi. Quæ ista cōfusio generis humani est: Quomodo seruari potest charitas, ubi nihil est certū quod amatur: Quis aut uir mulierē, aut mulier uirū diliget, nisi habitauerint semper unā: nisi deuota mens, & seruata inuicē fides indiuiduā fecerit charitatē: quæ uirtus in illa promiscua uoluptate locū nō habet. Item si omnes omniū liberi fuerint, quis amare liberos, tanquā suos potuerit, quum suos esse aut ignoret aut dubitet: quis honorem tanquam patri deferret, quum unde natus sit, nesciat: Ex quo fit, ut nō tantum alienū pro patre habeat, sed etiam patrem pro alieno. Quid, quod uxor potest esse cōmunis, filius uero non potest: quem cōcipi non nisi ex uno necesse est. Perit ergo matrimonij communitas, ipsa reclamante natura. Superest, ut tantūmodo concordia causa uxores uelint esse cōmunes. At nulla uehementior discordiarum est causa, quā unius foeminae à multis maribus appetitio. In quo Plato, si ratione nō poterat, exēplis certe potuit admoneri, & mutorū animalium, quæ ob hoc uel acerrime pugnant: & hominū, qui semper ob eam rem grauissima inter se bella gesserunt.

*Quod dogma Platonis non erat nisi criminis fons & fomes, & uirtutum omnium exterminium. Caput XXII*

**D** **R**estat ut cōmunio ista nihil aliud habeat, præter adulteria & libidines: propter quas funditus euerterēdas, est uirtus uel maxime necessaria. Ita que nō inuenit concordiam quā quærebat, quia nō uidebat unde oriat. Nam iustitia in extra positus nihil momēti habet, nec in corpore quidē, sed tota in hominis mente uersat. Qui ergo uult homines adæquare, nō matrimonia, nō opes subtrahere debet, sed arrogantiam, superbiam, tumorem, ut illi potentes & elati, pares esse se etiam mendicissimis sciant. Detracta enim diuitibus insolentia & iniquitate, nihil intererit, utrum ne alij diuites, alij pauperes sint, quū animi pares sint: quod efficere nulla alia res præter religionē dei potest. Putauit igitur se inuenisse iustitiam, quū eam prorsus euerteret: quia non rerum fragiliū, sed mentiū debet esse cōmunitas. Nam si iustitia uirtutū omniū est mater, quum illæ singulae tolluntur, ipsa subuertitur. Tulit autem Plato ante omnia frugalitatem, quæ utiq; nulla est, ubi proprii nihil habeatur: Tulit abstinentiam, si quidem nihil fuerit, quo abstineatur, alienum: Tulit temperantiam, tulit castitatem, quæ uirtutes in utroq; sexu maximæ sunt: Tulit uerecundiam, pudorem, & modestiam, si honesta & legitima esse incipiunt, quæ solent flagitiosa & turpia iudicari. Sic uirtutē quum uult omnibus dare, omnibus ademit. Nam rerum proprietates, & uitiorum & uirtutum materiam continet: cōmunitas autem nihil aliud quā uitiorū licentiam. Nam uiri, qui multas mulieres habent, nihil aliud dici possunt, quā luxuriosi ac nepotes: Item mulieres, quæ à multis habentur, non utiq; adulteræ, quia certum matrimonium nullum est, sed prostitutæ ac meretrices sint necesse est. Redegit ergo humanā uitam ad similitudinē non dico mutorū, sed pecudum ac belluarum. Nam uolucres penē omnes faciunt matrimonia, & paria iunguntur, & nidus suos tanquam genitales toros cōcordi mente defendunt, & fœtus suos quia certi sunt, amant: & si alienos obiceris, abigunt. At homo sapiens contra morem hominum contraq; naturam stultiora sibi, quæ sequeretur, elegit. Et quoniam uidebat in cæteris animalibus officia

mariuma

A marium foeminarumque non esse diuisa, existimauit oportere & mulieres militare, & consilijs publicis interesse, magistratus gerere, & imperia suscipere. Itaque his arma & equos assignauit: consequens est, ut lanam & telam uiris, & infantium gestationes. Nec uidit impossibilia esse quae diceret, ex eo quod adhuc in orbe terrae, neque tam stulta, neque tam uana ulla gens extiterit, quae hoc modo uiueret.

De minoribus philosophis, & quatenus in uita ratione ex rerum contemptu proficiant, & erroris assertores sint. Caput XXIII



Quum igitur in tanta uarietate ipsi philosophorum principes deprehendantur, quid illos minores putabimus, qui nunquam sibi tam sapientes uideri solent, quam quum pecuniae contemptu gloriantur: Fortis animus. Sed expecto quid faciant, & quomodo ille contemptus euadat. Tradita sibi a parentibus patrimonialia, tanquam malum fugiunt ac deserunt. Et ne in tempestate naufragium faciant, in tranquillo se ultrò praecipitant: non uirtute, sed peruerso metu fortes: sicut illi, qui, quum timent ne ab hoste iugulentur, ipsi se iugulant, ut mortem morte deuident. Sic isti unde possent gloriam liberalitatis acquirere, sine honore, sine gratia perdunt. Laudatur Democritus, quod agros suos dereliquit, eosque pascua publica fieri passus sit. Probarè, si donasset. Nihil autem sapienter fit, quod si ab omnibus fiat, inutile est, ac malum. Sed haec negligentia tolerabilis. Quid ille, qui patrimonium in nummos redactum effudit in mare? Ego dubito utrum ne sanus, an demens fuerit. Abite, inquit, in profundum malae cupiditates: ego uos mergam, ne ipse mergar a uobis. Si tantus pecuniae contemptus est, fac illam beneficium, fac humanitatem, largire pauperibus. Potest hoc quod perditurus es, multis succurrere, ne fame, aut siti, aut nuditate moriantur. Imitare insaniam saltem, furoremque Tuditani, sparge populo diripienda. Potes & pecuniam effugere, & tamen bene collocare, quia saluum est quicquid pluribus profuit. Zenonis autem paria peccata quis probat? Sed omitamus id, quod est ab omnibus semper irrisum. Illud satis est ad coercendum furiosi hominis errorem, quia inter uitia & morbos misericordiam posuit. Adimit nobis affectum, quo ratio humanae uitae penè omnis continetur. Quum enim natura hominis imbecillior sit quam caeterorum animalium, quae uel ad perferendam uim temporum, uel ad incursiones a suis corporibus arcendas, naturalibus munimentis prouidentia coelestis armauit: Homini autem, quia nihil istorum datum est, accepit pro istis omnibus miserationis affectum: qui planè uocatur humanitas, qua nosmet inuicem tueremur. Nam si homo ad conspectum alterius hominis efferetur, quod facere uidemus animantes, quarum natura soliuaga est, nulla esset hominum societas, nulla urbium condendarum uel cura, uel ratio. Sic neque uita quidem satis tuta, quum caeteris animalibus exposita esset imbecillitas hominum, & ipsi inter semetipsos belluarum more saeuirent. Non minor in alijs dementia. Quid enim dici potest de illo, qui nigram dixit esse niuem? quam consequens erat, ut etiam picem albam esse diceret. Hic est ille, qui se idcirco natum esse dicebat, ut coelum ac solem uideret, qui in terra nihil uidebat sole lucente. Xenophanes dicentibus Mathematicis, orbem lunae duodeuiginti partibus maiorem esse, quam terram, stultissime credidit. Et quod huic leuitati fuit consentaneum, dixit intra concauum lunae sinum esse aliam terram, & ibi aliud genus hominum simili modo uiuere, quo nos in hac terra uiuimus. Habent igitur illi lunatici homines alteram lunam, quae illis nocturnum lumen exhibeat, sicut haec exhibet nobis. Et fortasse hic noster orbis alterius inferioris terrae luna sit. Fuisse Seneca inter Stoicos ait, qui deliberaret, utrum ne Soli quoque suos populos daret: inepte scilicet qui dubitauerit. Quid enim perderet si dedisset? Sed credo calor deterrebat,

Democritus  
agros suos publicauit.

Anaxagoras  
niuem nigram  
dixit.

ne tantam multitudinem periculo committeret, ne si æstu nimio perissent, ipsius culpa euenisse tanta calamitas diceretur.

De Antipodibus, quos ideo esse finxerunt, quia opinati sunt mundū esse rotundū. Cap. XXIII



Vid illi, qui esse contrarios uestigijs nostris Antipodas putant: Nūquid aliquid loquuntur? aut est quisquam tam ineptus, qui credat esse homines, quorū uestigia sint superiora, quā capita? aut ibi quæ apud nos facient, uniuersa pendere: fruges & arbores deorsum uersus crescere: pluuias, & niues, & grandines sursum uersus cadere in terram? Et miratur aliquis hortos pensiles inter septem mira narrari, quum philosophi & agros, & maria, & urbes, & montes pensiles faciāt? Huius quoque erroris aperienda nobis origo est. Nam semper eodem modo falluntur. Quū enim falsum aliquid in principio sumperint, ueri similitudine inducti, necesse est eos in ea, quæ consequuntur, incurrere. Sic incidūt in multa ridicula: quia necesse est falsa esse, quæ rebus falsis cōgruunt. Quum autem primis habuerint fidem, qualia sunt ea quæ sequuntur, nō circumspiciunt, sed defendūt omni modo, quum debeāt prima illa utrum ne uera sint, an falsa, ex consequentibus iudicare. Quæ igitur illos ad Antipodas ratio perduxit? Videbant syderū cursus in occasum meantium, solem atque lunam in eandem partem semper occidere, atque oriri semper ab eadem. Quum autem nō perspicerent, quæ machinatio cursus eorū temperaret: nec quomodo ab occasu ad orientem remeant: cœlum autē ipsum in omnes partes putarent esse deuexū, quod sic uideri propter immensam latitudinē necesse est: existimauerunt rotundū esse mundū, sicut pilam: & ex motu syderū opinati sunt cœlum uolūt: sic astra solemque quū occiderint, uolubilitate ipsa mūdi ad ortum referri. Itaque ætherios orbis fabricati sunt, quasi ad figuram mundi, eosque celarūt portentosis quibusdā simulacris, quæ astra esse dicerent. Hanc igitur cœli rotunditatē illud sequebatur, ut terra in medio sinu eius esset inclusa. Quod si ita esset, terrā ipsam globo similem: neque enim fieri posset, ut nō esset rotundū, quod rotundo inclusum teneretur. Si autē rotunda etiam terra esset, necesse est, ut in omnes cœli partes eandem faciem gerat, id est montes erigat, campos tendat, maria cōsternat. Quod si esset, sequebatur illud extremū, ut nulla sit pars terræ, quæ non ab hominibus cæterisque animalibus incolat. Sic pendulos istos Antipodas cœli rotunditas adinuenit. Quod si quæras ab ijs, qui hæc portenta defendunt, quomodo non cadunt omnia in inferiorē illam cœli partem? hanc respondent rerum esse naturā, ut pondera in mediū ferantur, & ad mediū cōnexa sint omnia, sicut radios uidemus in rota. Quæ autē leuia sunt, ut nebula, fumus, ignis, à medio deferantur, ut cœlum petant. Quid dicam de ijs nescio, qui, quū semel aberrauerint, cōstanter in stultitia perseverant, & uanis uana defendūt: nisi quod eos interdum puto ioci causa philosophari, aut prudentes & scios mēdacia defendenda suscipere, quasi ut ingenia sua in malis rebus exercent uel ostentent. At ego multis argumētis probare possem, nullo modo fieri posse, ut cœlū terra sit inferius, nisi & liber iam concludendus esset, & adhuc aliqua restarent, quæ magis sint præsentī operi necessaria: & quoniā singulorū errores percurrere nō est unius libri opus, satis sit pauca enarrasse, ex quibus possint qualia sint cætera intelligi.

Antipodes.

Quot & quanta prædiscenda sunt, & aliās necessaria gentilitur philosophantibus, ut philosophiam nullus assequatur, aut rarus. Cap. XXV



Vnc pauca nobis de philosophia in cōmuni dicenda sunt, ut confirmata causa peroremus. Summus ille noster Platonis imitator existimauit philosophiā non esse uulgarē, & quod eam non nisi docti homines assequi possent. Est, inquit, philosophia paucis contenta iudicibus, multitudinem

**A** tudinem consulto ipsa fugiens. Non est ergo sapientia, si ab hominū cœtu abhorret. Quoniam si sapientia hominī data est, sine ullo discrimine omnibus data est, ut nemo sit prorsus, qui eam capere nō possit. At illi uirtutem humano generi datam sic amplexantur, ut soli omnium publico bono frui uelle uiderentur: tam inuidi, q̄ si uelint deligare oculos, aut effodere cæteris, ne solem uideāt. Nam quid est aliud hominibus negare sapientiam, quā mentibus eorū, uerum ac diuinū lumen auferre? Quod si natura hominis sapientiæ capax est, oportuit opifices, & rusticos, & mulieres, & omnes deniq; qui humanam formam gerunt, doceri, ut sapiant: populumq; ex omni lingua, & cōditione, & sexu, & ætate conslari. Maximum itaq; argumentum est, philosophiam neq; ad sapientiam tendere, neq; ipsam esse sapientiam, quod mysterium eius barba tantum celebratur, & pallio. Senserūt hoc adeo Stoici, qui & seruis & mulieribus philosophandū esse dixerunt. Epicurus quoq;, qui rudes omnium literarū ad philosophiā inuitat. Item Plato, qui ciuitatem de sapientibus uoluit componere. Conati quidem sunt illi facere, quod ueritas exigebat, sed non potuit ultra uerba procedi. Primū, quia multis artibus opus est, ut ad philosophiā possit accedi. Discendæ literæ istæ communes propter usum legendi, quia in tanta rerum uarietate, nec disci audiendo possunt omnia, nec memoria contineri. Grammaticis quoq; non parum operæ dandum est, ut rectam loquendi rationem scias: id multos annos auferat necesse est. Nec oratoria quidem ignoranda est, ut ea quæ didiceris, proferre atq; eloqui possis. Geometriā quoq; ac musica, & astrologia necessaria est, quod hæc artes cum philosophiā habent aliquā societatem: quæ uniuersa perdiscere neq; fœminæ possunt, quibus intra puberes annos officia mox usibus domesticis profutura discenda sunt: neq; serui, quibus per eos annos uel maxime seruiendum est, quibus possunt discere: neq; pauperes, aut opifices, aut rustici, quibus in diem uictus labore est quærendus. Ob eam causam Tullius ait, abhorre a multitudine philosophiam. At enim rudes Epicurus accipiet. Quomodo ergo illa, quæ de principijs rerum dicuntur, intelligent, quæ perplexa & inuoluta uix etiā politi homines assequuntur? In rebus igitur obscuritate implicitis, & ingeniorum uarietate confusis, & eloquentia uirorum exquisito sermone fucatis, quis imperito ac rudi locus est? Deniq; nunquā ullas mulieres philosophari docuerunt, præter unam ex omni memoria Themisten: neque seruos, præter unum Phædonē, quem male seruientē redemisse, ac docuisse Cebetem tradunt. Enumerant etiā Platonem ac Diogenem, qui tamen serui non fuerunt, sed his seruitus euenerat, sunt enim capti. Platonem quidem redemisse Aniceris quidam traditur sestertijs octo. Itaque insectatus est conuicijs redemptorem Seneca, quod Platonē paruo æstimauerit. Furiosus, ut mihi quidē uidetur, qui hominī fuerit iratus, quod nō multū pecuniæ perdidit, scilicet aurum appendere debuit, tanquam pro mortuo Hectore: aut tantū ingerere nummorū, quantum uenditor nō poposcit? Ex barbaris uero nullum, præter unum Anacharsim Scytham, qui philosophiam ne somniasset quidē, nisi & linguam, & græcas literas ante didicisset.

*Quæ discenda philosophis.*

*Qui ex seruis philosophi.*

*Quod doctrina cœlestis sapientiam sola largitur, quam natura cōmunis appetit, & quærens philosophiā nō inuenit: Et quā efficax sit lex dei, & ecclesiæ sacramenta. Cap. XXVI*



**Q**uod ergo illi poscente natura faciendum esse senserunt, sed tamen neque ipsi facere potuerunt, neq; a philosophis fieri posse uiderunt, sola hæc efficit doctrina cœlestis, quæ sola sapientia est. Illi scilicet persuadere cuiquā potuerunt, qui nihil persuadent etiā sibi? Aut cuiuscq; cupiditates oppriment, fram temperabunt, libidinē coërcebūt, quum ipsi & cedant uitijs, & fateantur plus ualere naturam? Dei autem præcepta, quia & simplicia &

**C** uera sunt, quantum ualeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi uirum, qui sit iracundus, maledicus, effrenatus: paucissimis dei uerbis tam placidum, quam ouem reddam. Da cupidum, auarum, tenacem: iam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam suam proprijs manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis: iam cruces, & ignes, & pericula, & taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem: iam sobrium, castum, continentem uidebis. Da crudelem, & sanguinis appetentem: iam in ueram clementiam furor ille mutabitur. Da iniustum, insipientem, peccatorem: continuo & æquus, & prudens, & innocens erit: Vno enim lauacro malitia omnis abolebitur. Tanta diuinæ sapientiae uis est, ut in hominis pectus infusa, matrem delictorum stultitiam uno simul impetu expellat. Ad quod efficiendum, non mercede, non libris, non lucubrationibus opus est. Gratis ista fiunt, facile, cito, modo pateant aures, & pectus sapientiam sitiat. Nemo uereat nos, aquam non uendimus, nec solem mercede prestamus. Dei fons uberrimus ac plenissimus patet cunctis, & hoc cœleste lumen uniuersis oritur, quicumque oculos habent. Num quis hæc philosophorum aut unquam præstitit, aut prestare, si uelit, potest? Qui quum ætates suas in studio philosophiæ coterant, neque alium quentem, neque seipsum (si natura paululum obstitit) possunt facere meliores. Itaque sapientia eorum, ut plurimum efficiat, non excindit uitia, sed abscondit. Pauca uero dei præcepta, sic totum hominem immutant, & expolito uetere nouum reddunt, ut non cognoscas eundem esse.

Quod philosophi sepe recte præcipiunt, & interdum uident uerum: & quare non sit eis credendum. Caput XXVII



**D** Vid ergo? Nihil ne illi uerisimile præcipiunt? Imò permulta, & ad uerum frequenter accedunt: sed nihil ponderis habent illa præcepta, quia sunt humana, & autoritate maiori, id est diuina illa carent. Nemo igitur credit, quia tam se hominem putat esse, qui audit, quam est ille, qui præcipit. Præterea nihil apud eos certi est, nihil quod à scientia ueniat. Sed quum omnia cōiecturis agantur, multa etiam diuersa & uaria proferantur, stultissimi est hominis præceptis eorum uelle parere: quæ utrum uera sint an falsa, dubitabitur. Et ideo nemo paret, quia nemo uult ad incertum laborare. Virtutem esse Stoici aiunt, quæ sola efficiat uitam beatam. Nihil potest uerius dici. Sed quid si cruciabitur, aut dolore afficietur? poterit ne quisquam inter carnifices beatus esse? Imò uero illatus corpori dolor, materia uirtutis est. Itaque ne in tormentis quidem miser est. Epicurus multo fortius: Sapiens, inquit, semper beatus est, & uel inclusus in Phalaridis tauro hanc uocem emittere: Suaue est, & nihil curo. Quis eum non irriserit? maxime quod homo uoluptarius personam sibi uiri fortis imposuit, & quidem supra modum. Non enim fieri potest, ut quisquam cruciatus corporis pro uoluptatibus ducat, quum satis sit ad officium uirtutis implendum, perferre ac sustinere. Quid dicitis Stoici? Quid tu Epicure? Beatus est sapiens etiam cum torquetur: Si propter gloriam, patientia non fruatur: in tormentis enim fortasse morietur. Si propter memoriam, aut non sentiet, si occidunt animam: aut si sentiet, nihil ex ea consequetur. Quis ergo alius fructus est in uirtute? Quæ beatitudo uitæ, ut æquo animo moriatur? Bonum mihi affertis unius horæ, aut fortasse momenti, propter quod non expediat in tota uita miseris & laboribus confici. Quantum autem temporis mors occupat, quæ quum uenit, utrum æquo animo, an iniquo eam subieris, iam nihil refert. Ita fit, ut nihil aliud ex uirtute capteretur, nisi gloria. Sed hæc aut superuacua & breuis est, aut prauis hominum iudicijs non sequetur. Nullus igitur ex uirtute fructus est, ubi uirtus mortalis est & caduca. Itaque qui hæc locuti sunt, ueram quandam uirtutis uiderunt, ipsam uirtutem non uiderunt. Deflexi enim fuerunt in terram

Sententia Stoicorum de uirtute.

**A** terram, nec uultus suos in altum erigebāt, ut eam possent intueri, quæ sese cœli regionibus ostendebat. Hæc causa est, cur præceptis eorū nullus obtemperet: quoniam aut ad uitia erudiunt, si uoluptatem defendunt: aut si uirtutem asserunt, neque peccato poenam minantur, nisi solius turpitudinis: neque uirtuti ullum præmiū pollicentur, nisi solius honestatis & laudis: quum dicant nō propter aliud, sed propter seipsam expetendam esse uirtutē. Beatus est igitur sapiens in tormentis: sed quum torquetur pro fide, pro iustitia, pro deo, illa patientia doloris beatissimū faciet. Est enim deus, qui solus potest honorare uirtutē, cuius merces immortalitas sola est: quam qui nō appetunt, nec religionē tenent, cui æterna subiacet uita: profectō neque uirtutis uim sciunt, cuius præmiū ignorant: neque in cœlū spectant, quod ipsi se facere putant, quum res nō inuestigabiles quærūt: quia ratio in cœlum spectandi nulla alia est, nisi aut religionē suscipere, aut hanc animam suam immortalem esse credere. Quisquis enim aut deum colendū esse intelligit, aut immortalitatis spem sibi propositam habet, mens eius in cœlo est. Et licet id nō aspiciat oculis, animæ tamen lumine aspicit. Qui autem religionē non suscipiunt, terreni sunt, quia religio de cœlo est. Et qui animam putant cum corpore interire, æque in terram spectāt: quia ultra corpus, quod est terra, nihil amplius uident quod sit immortale. Nihil igitur prodest hominē esse ita fictum, ut recto corpore spectet in cœlum, nisi erecta mente deum cernat, & cogitatio eius in spe uitæ perpetuæ tota uersetur.

*In quo solo nitatur conditio creaturæ: & unde naturæ nomen, aut fortunæ: & quomodo philosophi suis inuicem gladijs pereunt. Quod fortuna nihil est, quā philosophi non modo deam, sed deum mentiuntur: Et quomodo hunc errorem demones immiserint eis, qui deum nesciebant, aut contemnebant. Cap. XXVIII*

**B** Vapropter nihil aliud est in uita, quo ratio, quo cōditio nostra nitatur, nisi dei, qui nos genuit, agnitio, & religiosus ac pius cultus. Vnde quoniam philosophi aberrauerunt, sapientes utique non fuerunt. Quæsierunt illi quidem sapientiam, sed quia nō rite quærebant, prolapsi sunt longius, & in maximos errores inciderunt, ut etiam cōmunem sapientiam non tenerent. Non enim tantum religionem asserere uoluerunt, uerum etiam sustulerūt: dum specie uirtutis falsæ inducti, conātur animos omni metu liberare: quæ religionis euersio naturæ nomen inuenit. Illi enim quum aut ignorarent à quo esset effectus mundus: aut persuadere uellent, nihil esse diuina mente perfectum, naturam esse dixerunt rerum omnium matrem, quasi dicerent omnia sua sponte esse nata: quo uerbo planè imprudentiam suam cōfiterentur. Natura enim remota prouidentia & potestate diuina, prorsus nihil est. Quod si deum naturā uocant, quæ peruersitas est, naturam potius quæ deum nominare: Si autem natura ratio est, uel necessitas, uel cōditio nascendi, nō est per seipsam sensibilis, quia necesse est mentem esse diuinam, quæ sua prouidentia nascendi principū rebus omnibus præbeat. Aut si natura est cœlum atque terra, & omne quod natum est, non est de natura, sed dei opus. Nō dissimili errore credunt esse fortunā, quasi deam quandā, res humanas uarijs casibus illudentē, quia nesciunt, unde sibi bona & mala eueniant. Cum hac se compositos ad præliandum putant, nec ullam tamen rationem reddunt, à quo, & quam ob causam, sed tantū cum fortuna se digladiari munimentis omnibus gloriantur. Iam quicumque alios cōsolati sunt ob interitum, amissionemque charorum, fortunæ nomen acerrimis accusationibus prosciderūt: nec omnino ulla eorū disputatio de uirtute est, in qua non fortuna uexetur. M. Tullius in sua consolatione, pugnas se semper contra fortunam loquitur, eamque à se esse superatam, quum fortiter inimicorū impetus retudisset: nec tum quidem se ab ea fractum, quum domo

Natura

Fortuna.



**C** pulsus patria caruit. Tum autem, quum amiserit charissimā filiam, uictum se à fortuna turpiter cōfiteatur. Cedo, inquit, en manum tollo. Quid hoc homine miserius, qui sic iaceat? insipienter, inquis, sed qui profitetur se esse sapientē. Quid ergo sibi uult assumptio nominis? Quid est cōtemptus ille rerū, qui magnificis uerbis prætenditur? Quid dispar cæteris habitus? Aut cur omnino præcepta sapientiæ dantur, si nemo qui sapiat, adhuc inuentus est? Et quisquam nobis inuidiam facit, quia philosophos negamus esse sapientes? quum ipsi nec scire quicquam, nec sapere fateantur. Nam si quando ita defecerint, ut ne effingere quidem quicquam possint, quid faciūt in rebus cæteris? Tum uero ignorantia admonentur, & quasi furibundi exiliunt, & exclamāt, se cæcos esse & excordes. Anaxagoras pronūciat circumfusa esse tenebris omnia. Empedocles angustas esse sensuum semitas queritur, tanquam illi ad cogitandum rheda & quadrigis opus esset. Democritus quasi in puteo quodam sic alto, ut fundus sit nullus, ueritatem iacere demersam: nimirum stulte, ut cætera. Nō enim tanquam in puteo demersa est ueritas, quō uel descendere, uel etiam cadere illi licebat: sed tanquam in summo montis excelsi uertice, uel positus in cœlo, quod est uerissimū. Quid enim est, cur eam potius in imum depressam diceret, quā in summum leuatam? nisi forte mentem quoq; in pedibus, aut in imis calcibus cōstituere malebat potius quā in pectore, aut in capite. Adeo remouissimī fuerunt ab ea ueritate, ut eos ne status quidem sui corporis admoneret, ueritatem in summo illis esse quærendam. Ex hac desperatione confessio illa Socratis nata est: qua se nihil scire dixit, nisi hoc unum, quod nihil sciat. Hinc Academia disciplina manauit, si tamē disciplina dici potest, in qua ignorantia & discitur, & docetur. Sed ne illi quidem, qui scientiā sibi assumpserunt, id ipsum quod se scire putabant, constanter defendere potuerunt. Qui, quoniam ratio illis nō quadrabat, per ignorantiam rerum diuinarum, tam uarij, tam incerti fuerunt, sibiq; sæpe cōtraria differentes, ut quid sentirent, quid uellent, satis statuere ac diiudicare non possis. Quid igitur pugnes aduersus homines eos, qui suo sibi gladio pereunt? Quid labores ut eos destruas, quos sua ipsos destruit atq; affligit oratio? Aristoteles (inquit Cicero) ueteres philosophos accusauit: eos ait aut gloriosos, aut stultissimos fuisse, qui existimassent philosophiā suis ingenijs esse perfectā: sed se uidere, quod paucis annis magna accessio facta esset, breui tēpore philosophiā planē absolutam fore. Quod igitur fuit illud tempus? quo in ore, quando est, aut à quibus absolutata? Nam quod ait stultissimos fuisse, qui putassent ingenijs suis perfectam esse sapientiam, uerū est. Sed ne ipse quidē satis prudenter, qui aut à ueteribus cœptam, aut à nouis auctam, aut mox à posterioribus perfectam iri putauit. Nunquā enim potest inuestigari, quod non per uiam suam queritur.

Repetitio de fortuna, & natura, & definitione eius. Cap. XXIX



Fortuna deus.

Ed repetamus id, quod omisimus. Fortuna ergo per se nihil est, nec sic habendum est, tanquam sit in aliquo sensu. Siquidē fortuna est, accidentiū rerum subitus atq; inopinatus euentus. Verum philosophi, ne aliquando non errent, in re stulta uolunt esse sapientes: qui Fortunæ sexum mutant, eamq; non deam sicut uulgus, sed deum esse dicunt. Eundem tamen interdum naturam, interdum fortunam uocant: quod multa (inquit idem Cicero) efficiat inopinata nobis propter obscuritatem ignorationemq; causarū. Quum igitur causas ignorent, propter quas fiat aliquid, & ipsum qui faciat ignorent, necesse est. Idem in opere ualde serio, in quo præcepta uitæ deprōpta ex philosophiā filio dabat: Magnam, inquit, esse fortunæ uim in utranq; partem, quis nesciat? Nam & quum prospero flatu eius utimur, ad exitus perueniemus optatos: & quum

**A** quum reflauerit, affligimur. Primum, qui negat sciri posse quicquã, sic hoc dixit, tanquam & ipse, & omnes sciant. Deinde qui etiam quæ clara sunt, dubia conatur efficere, hoc putauit esse clarum, quod illi esse debuit uel maxime dubiũ, nam sapienti omnino falsum est. Quis (inquit) nescit? Ego uero nescio. Doceat me (si potest) quæ sit illa uis, qui flatus iste, & qui reflatus. Turpe igitur est hominem ingeniosum dicere id, quod si neges, probare non possit. Postremo quod is qui dicit, assensus esse retinendos, quod stulti sit hominis rebus incognitis temere assentire: is inquam planè uulgi & imperitorum opinionibus credidit, qui fortunã putat esse, quæ hominibus tribuat bona & mala. Nam simulacrum eius cum copia & gubernaculo fingunt: tanquam hæc opes tribuat, & humanarũ rerum regimen obtineat. Cui opinioni & Vergilius assensit, qui fortunam omnipotentem uocat. Et historicus, qui ait: Sed profectò fortuna in omni re dominatur. Quid ergo cæteris dijs loci superest? Cur non aut ipsa regnare dicitur, si plus potest: aut sola colitur, si omnia, uel si tantũ mala immittit? Aliquid causæ proferant, cur si dea sit, hominibus inuideat, eosq; perditos cupiat, quũ ab his religiose colatur? Cur æquior sit malis, iniquior aut bonis? Cur insidiatur, affligat, decipiat & exterminet? Quis illam generis hominum uexatricem constituit perpetuam? Cur denique tam malam sortita sit potestatem, ut res cunctas ex libidine magis quàm ex uero celebret obscuretq;. Hæc inquam philosophos inquirere oportuit potius, quàm temere innocentem accusare fortunã: quæ etiam si sit aliqua, nihil tamen afferri ab his potest, cur hominibus tam inimica sit, quàm putatur. Itaque illæ omnes rationes, quibus iniquitatem fortunæ lacerant, se suasq; uirtutes contra fortunam superbissimè iactant, nihil aliud sunt, quàm deliramenta inconsideratæ leuitatis. Quare non inuideant nobis, quibus aperuit ueritatem deus: qui sicut scimus, nihil esse fortunam, ita scimus esse prauum ac subdolum spiritũ, qui sit inimicus bonis, hostisq; iustitiæ, qui contraria faciat, quàm deus: cuius inuidiæ causam in secundo libro explicauimus. Hic ergo insidiatur uniuersis: sed eos qui nesciunt deum, errore impedit, stultitia obruit, tenebris circũfundit, ne quis possit ad diuini nominis peruenire notitiam, in quo uno & sapientiã continetur, & uita perpetua. Eos autem qui deum sciunt, dolo & astutiã aggreditur, ut cupiditate ac libidine irretiat, ac peccati blandimentis deprauatos impellat ad mortem: uel si dolo nihil profecerit, & uolentia deijcere conatur. Idcirco enim in primordijs transgressionis non statim ad pœnam detrusus à deo est, ut hominem malitia sua exercent ad uirtutem: quæ nisi agitur, ni assidua uexatione roboretur, non potest esse perfecta. Siquidem uirtus est perferendorũ malorum fortis ac inuicta patientia. Ex quo fit, ut uirtus nulla sit, si aduersarius desit. Huius itaq; peruersæ potestatis quum uim sentirent uirtuti repugnantẽ, nomenq; ignorarent, Fortunæ uocabulum sibi inane sinxerũt. Quod quàm longe à sapientiã sit remotum, declarat luuenalis his uersibus:

Nullum numen abest si sit prudentia, sed nos

Te facimus Fortuna deam, cœloq; locamus.

Stultitia igitur & error, & cæcitas, & (ut Cicero ait) ignoratio rerũ atq; causarũ, naturæ ac Fortunæ nomina induxit. Sed ut aduersariũ suum nesciunt, sic nec uirtutẽ quidem sciunt, cuius scientia ab aduersarij notione descendit. Quæ si coniuncta est cum sapientiã, uel (ut ipsi aiunt) eadem ipsa sapientiã est, ignorent necesse est, in quibus rebus sita sit. Nemo enim potest ueris armis instrui, si hostem cõtra quẽ fuerit armandus, ignorat: nec aduersariũ uincere, qui in dimicando non hostem uerum, sed umbram petit. Prosterneatur enim qui aliò intentus, uenientem uitalibus suis ictum nec præuiderit antè, nec cauerit.

Fortunæ simulacrum.

Virtutis dea finitio.

C Epilogus, quo docet quomodo transcendendum sit à uanitate philosophorum, & ad ueram sapientiam aspirandū, scilicet ad uerbū dei, in quo solo ueritas inuenitur, & uirtus, & beatitudo: & ab eis quæ dicta sunt, ad dicenda transitū facit. Cap. XXX



O cui quantum mea mediocritas tulit, longe deuium philosophos iter à ueritate tenuisse. Sentio tamen quàm multa præterierim: quia non erat mihi propria contra philosophos disputatio. Sed huc ne cessario diuertendum fuit, ut ostenderem tot & tanta ingenia in rebus falsis esse contumpra, ne quis forte à prauis religionibus exclusus, ad eos se cōferre uellet, tanquam certi aliquid reperturus. Vna igitur spes homini, una salus in hac doctrina quam defendimus, posita est. Omnis sapientia hominis in hoc uno est, ut deum cognoscat & colat. Hoc nostrum dogma, hæc sententia est. Quanta itaq; uoce possum testificor, proclamo, denuncio. Hoc est illud, quod philosophi omnes in tota sua uita quæsierunt, nec unquam tamen inuestigare, comprehendere, tenere ualuerunt: quia aut prauam religionem tenuerunt, aut totam penitus sustulerunt. Facessant igitur illi omnes, qui humanam uitam non instruunt, sed turbant. Quid enim docent? Aut quæ instruunt, qui se ipsos nō instruxerunt? Quem sanare ægroti, quem regere cæci possunt? Huc ergo nos omnes, quibus est cura sapientiæ, cōferamus. An expectabimus donec Socrates aliquid sciat? aut Anaxagoras lumen in tenebris inueniat? aut Democritus ueritatē de puteo extrahat? aut Empedocles dilatet animi sui semitas? aut Arcefilas & Carneades uideant, sentiant, percipiant? Ecce uox de cælo ueritatem docens, & nobis sole ipso clarius lumen ostendens. Quid nobis iniqui sumus, & sapientiā suscipere cunctamur? quæ docti homines contritis in quærendo ætatibus suis, nunquam reperire potuerunt.

D Qui uult sapiens ac beatus esse, audiat dei uocem, discat iustitiam, sacramentum natiuitatis suæ norit, humana contemnat, diuina suscipiat, ut summum illud bonum, ad quod natus est, possit adipisci. Dissolutis religionibus uniuersis, & omnibus quæcunq; in earum defensionem dici uel solebant, uel poterant, refutatis, deinde conuictis philosophiæ disciplinis, ad ueram religionē nobis, sapientiāq; ueniendum est: quoniam est (ut docebo) utrunq; cōiunctum, ut eam uel argumentis, uel exemplis, uel idoneis testibus asseramus. Et stultitiam quam nobis isti deorum cultores obiectare non desinunt, ut nullā penes nos, sic totam penes ipsos esse doceamus. Et quanquā prioribus libris quū falsas arguerim religiones, & hic quum falsam sapientiam tollerem, ubi ueritas sit ostenderim: planius tamen, quæ religio, & quæ sapientia uera sit, liber proximus indicabit.

LIBRI TERTII FINIS.